

præter Deū, quod nō diligit propter Deū, & sic actualem animi in Deum motū interrumpat: non tamen habitualement, siquidē voluntatem & propositum Dei super omnia diligendi nunquam abiciat, & amittat.

Refutatio respōsionis.

Hæc quamuis verè dicta sint, nēpe quod peccās venialiter habitu super omnia Deū diligit, & cunctis rebus anteponat: illud tamen non videtur verè dictum, actionem peccati venialis habitu in finem vltimum referri. Nam actio peccati venialis est vitiosa: at nulla actio vitiosa habitu refertur in finem vltimum, vt quæ non sit eiusmodi, quæ actu, vel virtute referri possit: relinquitur igitur peccantem venialiter nullo modo actionem in Deum referre.

Nulla actio vitiosa est in finem vltimum referibilis.

Respōsio authoris.

Quocirca illud argumentum aliter diluendum puto. Dico igitur peccantem venialiter frui creatura, non quidem simpliciter, siquidem ab amoris coniunctione ea non discedit, qua Deo, ceu fini vltimo adhæret: qua re efficitur, vt nullius creaturæ dilectionem, illius summi boni dilectioni anteponat, sed quodam modo, quatenus scilicet cū Deo aliquid diligit, quod ipsum propter Deum minime diligit, ac proinde Deum ipsum minus diligit, vt ait Augustinus in meditationibus. ¶ Notandū tamen frui accipi duobus modis, vno modo simpliciter, & propriè, altero modo secundum quid & impropriè. Frui simpliciter est amore rei alicui inhaerere propter se, ita scilicet vt illud tanquam summum, non referibile in aliud, à voluntate acceptetur. Frui secundum quid, & impropriè, est amore alicui rei inhaerere, illam interim alijs non præferendo, sed vt convenientem amplectēdo. Hoc modo peccans venialiter fruitur creatura.

Augusti.

Peccans venialiter modo aliquo fruitur creatura.

DE V T E N T I B V S.

SVbinde quæri cōsuevit quinā vtantur? ¶ Responderi solet vnica conclusione. Vtuntur Deus, beati comprehensores, & homines. Vtuntur quidem Deus rebus omnibus alijs à se: quatenus omnia ad se, & ad bonitatem suam refert, ceu ad extremū rerum omnium finem. Vtuntur cōprehen-

vtentes qui?

sores: quatenus omnia ad diuinam bonitatem referunt non quidem assequendā, sed laudandam, & glorificandam. Vtuntur homines: quatenus omnia eo referunt, vt finē illum vltimum assequātur. Ac de fruitione, & fruibili: de vsu, deq; ijs, quæ sub vsu cadunt, hæc disseruisse sufficiat.

DISTINCTIO SECUNDA.

¶ Resolutio secundæ distinctionis Magistri.



SECUNDA distinctio quatuor cōclusiones complectitur.

Prima conclusio.

De mysterio trinitatis cum modestia & timore agendum est, estque illud attentissimis, & deuotis auribus audiendum. Probat auctoritate Augustini. 1. de trin. cap. 3.

Secunda cōclusio. In diuinis est vna summa, simplicissima, indiuidua, singularis, & infinita essentia quæ Deus est.

Tercia conclusio. Hæc vna summa, simplicissima, indiuidua, etc. et. essentia est in tribus personis distinctis, patre, filio, & spiritu sancto, qui est vnus Deus, vnus in essentia, & trinus in personis distinctis, quia pater non est filius, neque spiritus sanctus, licet non sit aliud à filio, & spiritu sancto. Hanc essentie unitatem in trinitate personarū ostendit Magister varijs sacre pagine, ex vtroque testamento desumptis, testimonijs.

Quarta cōclusio. Essentia diuina identificat sibi omnia quæ in diuinis esse dicuntur, & creduntur.

Q V A E S T I O . I .

*Vtrum Deus sit vnus?*



**D**I S T I N C T I O N E  
secunda adduci multa à  
theologis in cōtentionem  
consueuerunt, in quibus il-  
lud est primū sit Deus vnus

conclu-  
sio.  
Deus est  
vnus.  
Vide D.  
Thomam  
1. p. q. 11.  
artic. 1.  
Egidiū I.  
d. 2. q. 1.  
Ducand.  
1. d. 2. q. 1

nec nec? Pro explicatione quæstionis po-  
nitur vnica conclusio, quæ est huiusmodi.  
Deus est vnus. Id rationibus naturalibus  
ostenditur in hunc modum. Dei nomine  
natura continetur omnino perfecta, & ab-  
soluta, complectens omnem non solū quæ  
est, verum etiam quæ esse potest perfectio-  
nem, & excellentiam, igitur Deus est vnus.

Alioqui fingamus esse duos Deos. Iam  
quæritur, vtrum quidquid perfectionis est  
in vno, sit in altero nec nec? Si non, neu-  
ter igitur est Deus. Namque Deus omnē,  
quæ est, quæque dari potest, perfectionem  
continet. Si vero vterque æque perfectus  
est, vnus igitur illorum valet ad omnia,  
ac proinde alter abundat: at in diuina na-  
tura nihil abest, & nihil redundat, omnino  
igitur Deus vnus est.

Secundo, Est finis vltimus ad quem om-  
nia referuntur, est igitur vnus duntaxat  
Deus. Alioqui faciamus duos esse Deos,  
aut igitur partiatim finalizant, vt scilicet  
hæ res ad hunc Deum, illæ vero ad alte-  
rum referantur, aut æque illorum cuius est  
finis, ad quem omnia referuntur. Si par-  
tialiter finalizant, neuter igitur est Deus,  
vt qui non sit finis ad quem omnia refe-  
runtur. Sin quilibet illorum est vltimus fi-  
nis, ad quem omnia referuntur, alter igitur  
superuacaneus est.

Tertio, Si multi essent dij, aut illi specie  
inter se, aut certè numero sub vna specie  
conuenientes, differrent: neque specie, ne-  
que numero essent differentes, non sunt  
igitur multi dij. Priorem partem ostendo.  
Illud non est Deus, quo potest dari aliquid  
aliud perfectius, tam in essendo, quam in  
operando: nam Dei nomine declaratur

summa, & perfectissima natura: at vbi-  
cunque dantur aliqua, quæ specie diffe-  
runt, vnus est altero necessario perfecti-  
us, alter igitur illorum nullo modo est  
Deus. Minor propositio ex eo liquet, quia  
dari non possunt duæ formæ æque perfec-  
tæ sub eodem genere, id quod ex eo intel-  
ligitur, quia auctore Aristotele .8. Meta-  
phys. formæ & species rerum sunt veluti  
numeri: atqui in numeris hoc cernitur,  
nempe quod non dantur, nec dari vlla  
vi possunt duæ numerorum formæ, quæ  
parem perfectionis gradum obtineant, &  
æque distent ab vno, sed necessario vna  
distat interuentu alterius, vt ternarius in-  
teruentu binarij, non dantur igitur, neque  
dari per vllam potentiam possunt duæ sub  
eodem genere species, quæ sint æque per-  
fectæ, quæque æque distent ab absolutis-  
sima, summa, supremaque natura, in quâ  
omnes formæ substantiales necessario in-  
currunt. Nam in ijs quæ essentialem ordi-  
nem conseruant, non datur in infinitum  
progressio, vt alibi docebimus.

Posterior pars ostenditur in hunc modū.  
Omnis natura ex se plurificabilis secundū  
numerum, quemadmodū in duo, vel tria,  
ita in multo plura, & infinita distrahi po-  
test, igitur si diuina natura secundū nume-  
rum esset plurificabilis posset, quod ad se  
attinet, æque in multis, atq; in infinitis re-  
periri: cum vero in Deo quidquid est possi-  
bile, continuò sit actu, sequitur vt non solū  
duo, vel tres, aut multi sub vna specie, sed  
omnino infiniti essent Dij numero differē-  
tes: at impossibile est infinitos esse Deos, se-  
quitur igitur & illud esse impossibile, diuinā na-  
turā reperiri in multis numero differētibus.

Huic verissimæ assertioni, præter quam  
quod ratio humana, suffragatur etiā diuinæ  
scripturæ irrefragabilis authoritas. Dicitur  
enim Deuter. 6. audi Israel, dominus Deus  
vester, Deus vnus est. Item. 2. Regū 7. ex-  
tra me nō est Deus, Itē Ephes. 4. Vnus Deus  
vna fides, vnū baptisma. Traditum est etiā  
in symbolo Ecclesiæ. Credo in vnū Deum.

Deuter.  
2. Reg. 7.  
Ephes.

Huic veritati veteres etiam philosophi  
nullo

Philosophi omnes unitati Dei subscripserunt. Empedocles.

Mercurius

Plato. Aristoteles.

nullo super naturali lumine illustrati, sed naturalem rationem inducem secuti, subscripserunt. Empedocles Agrigentinus vnum esse Deum aperte testatus est, cum dixit, *ex τοῦ ἐνός πάντα*, hoc est, ex vno omnia. Huc pertinet illa Mercurij Trismegisti sententia, *ὁ θεὸς εἷς*, id est, Deus autem vnus est. Hanc summi numinis unitatem vetustissimi philosophi nobis proditam, & comendatam esse voluerunt, cum dixerunt, esse rerū omnium *μία, καὶ ἀκίνητος ἀρχή*, id est, vnum principium, idque immobile. Præstantissimi philosophorū Plato, & Aristoteles non solum Deum esse vnum asseruerunt, verum etiam rationibus demonstrarunt: quatenus ostenderunt esse dandā omnino summam aliquam, & præstantissimam naturam, quæ sit efficiens non effecta, mouens non mota, est igitur Deus vnus.

REFUTATIO CONCLUSIONIS.

1. Argu.

Verissima conclusio his argumentis refutatur. Quidquid perfectionis in rebus creatis cernitur, id totum Deo est attribuendum: at in creaturis naturam communicari cum multis est perfectionis: declarat enim naturæ illimitationem, hoc ipsum igitur Deo attribuendum est, reperitur igitur diuina natura in multis, ac proinde multos esse Deos statuendum est.

2. Argu.

Accedit ad confirmationem, quia auctore Dionysio, Bonum est sui ipsius diffusiuū, quantoque præstantius, ac sublimius, tanto suam bonitatem profusus alijs impertitur, & cum alijs communicat, videtur igitur, ne Deus sit inuidus, multi dij statuendi.

3. Argu.

Adde, quia non solum philosophi, & poetae, sed totus ferè orbis deorum multitudinem receperit, ac comprobauerit: vsque adeo, vt populus etiam Israeliticus, qui Deum vnum sacris literis edocti profiterentur, & colerent, in idololatriam tamen sapissimè laberetur, igitur multi dij ponendi esse videntur.

DILUTIO ARGUMENTORUM.

Ad primum concedimus esse perfectionis, naturam in multis reperiri: arguit id siquidem naturæ illimitationem: non tamen est perfectionis, imo vero summæ imperfectionis, naturam cum multis comunicabilem, in illis multis plurificari. Damus igitur diuinam naturam cū multis communicari, negamus tamen in illis multis plurificari, ita scilicet vt sint multi dij numero differentes, sed multa supposita diuina eandē numero naturā habētia.

Objici tamen contra potest, nihil idem numero potest dici de multis re ipsa distinctis, nisi sit diuersum: nam substantia scinditur, & distrahitur multiplicatis suppositis, accidens vero multiplicatis subiectis: at diuina natura dicitur de diuinis suppositis re ipsa distinctis, non est igitur vna numero in distinctis suppositis, sed diuersa numero. Dicimus maiorem esse veram in re limitata, & infinita, secus in re illimitata & infinita, cuiusmodi est diuina natura: hæc siquidem propter sui illimitationem, & infinitatem in multis re ipsa distinctis vna numero, & singularissima potest existere.

Ad secundum, concedimus bonum illud diuinum fuisse ad intra communicatum, ac Deum prole minime carere quemadmodum ipse apud Isaiam cap. 66. testatus est inquires, Ego qui generationem ceteris tribuo, sterilis ero? Caterum illa communicatio facta est in identitate naturæ, non specifica, sed numerica: communicata est enim vna, & singularissima natura diuersis personis, quarum quælibet etsi sit Deus, non tamen sunt multi dij, quia Deitas ipsa in illis multis minime diuiditur, aut multiplicatur.

Ad tertium, negamus philosophos, qui naturæ abdita aperuerunt, Deos multos posuisse, tametsi vel timore perterriti, vel ad vulgi consuetudinē se se accommodātes, multos Deos, non tanquam Deos per essentiam, sed tanquam diuos venerati sint.

Ad 1.

Naturam communicari cum multis perfectionis est, in illis vero multis plurificari, summæ imperfectionis Obiectio

Dilutio

Ad 2.

Isaias.

Ad 3.

De

De pœtis non laboramus, siquidē illis lar-  
ga, ac libera semper fuerit mentiendi po-  
testas facta atque concessa. Ad eundem  
etiam modum turperitæ multitudinis opi-  
nio aspernanda est, ac nihili facienda: si-  
quidem sensus nullus in illa, aut certum  
& stabile iudicium reperiatur. Quod ve-  
ro populus Israeliticus multos Deos co-  
luerit, id minimē nos cogit confiteri mul-  
tos esse Deos, siquidem id malo suo fece-  
rit, idque scelus multis, & acerbissimis sup-  
plicijs diuinitus affectus, luerit.

Vnus est igitur Deus quem Patriarchæ,  
& Prophetæ sanctissimi coluerunt, sacræ  
literæ prodiderunt, & ratio ipsa naturalis  
demonstrat.

✠ Q V A E S T I O . 2 . ✠

*Vtrum multa in Deo reperiuntur attri-  
butales perfectiones?*

**P**ro explicatione quæstio-  
nis explicanda est vis no-  
minis, attributi, vim igitur  
huius nominis variè acci-  
piunt theologi. Quibusdā  
vltimum est, attributi nomine significari mē-  
tis conceptum quendam de diuina essen-  
tia animo obiecta formatum: siue nomen  
aliquod predicabile de diuina essentia: i a  
scilicet, vt attributum multo verius dica-  
tur conceptus attributalis, siue nomen at-  
tributale, quam perfectio attributalis. Hæc  
est apud Nominales huius nominis vis, &  
significatio. Apud Ochamū scilicet. 1 d. 2.  
q. 1. & 2. Item apud Gabrielem. 1 d. 2. q. 2.

Alijs placet attributum significare mo-  
dum quendam realem essendi absolutum  
communem cū tribus personis. Sic visum  
est Iacobo Vitirbiensi Augustiano quod-  
lib. 3. quæst. 7.

Vtraque acceptio, & explicatio hoc vni-  
co argumento refutatur. De sententia san-  
ctorum attributū est perfectio simpliciter,  
quam melius est inesse, quam non inesse:

at conceptus & modus essendi non sunt  
perfectiones simpliciter: non conceptus:  
nam perfectio simpliciter est ens extra ani-  
mum, conceptus vero ens in animo. Non  
modus essendi: nam perfectio simpliciter  
est res simpliciter: at modus essendi nō est  
res, sed modus rei: conceptus igitur & mo-  
dus essendi nullo modo sunt attributa. Mi-  
nus igitur aptè attributi nomine significari  
dicunt conceptum, aut modum rei.

Sunt qui attributum bifariam accipien-  
dum putent, latius scilicet & pressius. At-  
tributum latius sumptū omnem perfectio-  
nem esse aiunt alteri attributam per mo-  
dum cuiusdam denominationis, quemad-  
modum calor igni, risibilitas homini, &  
Deo immensitas attribuitur.

Attributum vero pressius sumptum est  
perfectio alteri ex alio, hoc est, ex ijs, quæ  
in alijs cernuntur, attributa. Ac hoc modo  
illa perfectio est duntaxat attributum, quā  
colligimus Deo cōuenire ex ijs, quæ in crea-  
tis rebus animaduertimus. Quocirca attri-  
butum ita definiunt, vt dicāt esse perfectio-  
nem cōmunem Deo cum rebus creatis, cō-  
munitate analogiæ, vt bonitas, sapientia,  
& iustitia: hoc modo infinitas, immensitas,  
immaterialitas, non sunt in attributis. Hæc  
tradiderunt Heruzus. 1 d. 2. q. 2 Durand 1.  
d. 2 q. 3. Alfonso 1 d. 8. q. 1 quorum nos sen-  
tentiam comprobamus.

Ita in perfectione attributali tria requi-  
runtur. Primum, vt dicat perfectionē sim-  
pliciter: Secundum, vt dicat perfectionem  
non primam, sed secundam: Tertium, vt in  
rebus creatis reperiatur. Defectu primæ  
conditionis relatio diuina, ceu paternitas,  
non est in attributis, vt quæ secundum suā  
rationem formalem non importet perfec-  
tionem, aut imperfectionem. Defectu se-  
cundæ conditionis: esse, & viuere, nō sunt  
attributa. Defectu tertiæ, immensitas, in-  
finitas, et cætera huiusmodi non sunt in  
attributis.

His ita constitutis, ponimus vnicam cō-  
clusionem, quæ est huiusmodi. Multa in  
Deo reperiuntur attributales perfectiones.

F 2 Proba-

vulg' opi-  
nio nullo  
ratione  
& nullo  
iudicio  
nititur.

Attributū  
quid a-  
pud no-  
minales.

Ochamo.  
Gabriel.  
Attribu-  
tū quid  
apud vi-  
terbie se.

Iacobus  
Viterbiē  
fis.  
Refuta-  
tio.

Attribu-  
tū quid  
apud ali-  
os.

Heruzus  
Durandus  
Alfonfus

In perfec-  
tione at-  
tributali  
tria requi-  
runtur.

Prima cō-  
clusio.

## DISTINCTIONIS SECUNDAE

In Deo  
est multi-  
tudo infi-  
nita attri-  
butorum

Probatio. Quidquid entitatis & bonitatis in rebus creatis cernitur, id totum à Deo profectum est: at efficiens causa alicuius præhabet illud multo excellentius: perfectiones igitur, & excellentiæ omnes, quæ in rebus creatis cernuntur, in Deo contineantur non solum necesse est, verum etiam ut multo perfectius, & excellentius contineantur: cumque Deus sit infinitus, non solum præhabet, ac continet omnes omnium generum, & specierum perfectiones, verum etiam omnes possibles existere, quæ sunt infinita, ac proinde in Deo est multitudo infinita attributorum.

### REFUTATIO CONCLUS.

Arg. vni-  
cui.

Tradita conclusio vnico argumento refutatur. Si in Deo multæ sunt perfectiones attributales, vel illæ multæ perfectiones sunt multæ res, vel multæ rationes: non sunt multæ res: sunt igitur multæ rationes de diuina essentia animo obiecta formatæ, ac proinde multitudo attributorum, multitudo verius dicenda est conceptuum attributalium, quam perfectionum. Porro illas perfectiones attributales non esse multas res hinc intelligitur, quoniam si essent multæ res, aut ideo essent multæ res, quia ponerent in numero cum essentia, aut quia ponerent in numero inter se: non priori modo, quia diuina essentia est simplicissima, identificans sibi omnia: nihil est igitur in diuinis quod ponat in numero cū essentia. Neque itidem posteriori modo, nam in diuinis illa solū ponunt in numero inter se, quæ habent inter se oppositionem: atqui attributales perfectiones, cum sint absolutæ nullam omnino habent inter se oppositionem: non ponunt igitur in numero inter se. Non sunt igitur attributales perfectiones in Deo multæ res.

### DILVTIO ARGUMENT.

Ad argu.

Dicimus multas illas attributales perfectiones esse vnā summam rem æquivalentem distinctis rebus: est autē ea summa res ipsa diuina essentia.

Objici contra potest. Hæc locutio vera est, attributa diuina sunt multa iam quæro, attributū pro quo accipitur, an pro re extra animum, an contra pro re in animo? Si pro re extra animum: igitur multitudo cadit supra rem, ac proinde est multitudo realitatum absolutarum in diuinis, id quod nō cōgruit cū naturæ diuinæ simplicitate. Si pro re in animo: igitur multitudo cadit supra conceptum, ac proinde multitudo attributorū est multitudo conceptuum siue rationum obiectiuarum.

Respondetur. In diuinis attributis duo spectari, esse ipsorum à parte rei, & multitudinem ipsorum: ponuntur ergo quatuor conclusiones.

Prima conclusio. Diuina attributa quoad esse sunt extra animum: & supponunt pro realitate diuinæ essentia. Nam esse attributorū est ipsummet esse diuinæ essentia.

Secunda cōclusio. Diuina attributa quoad multitudinem sunt entia in animo. Nā multitudo pertinet ad distinctionem ipsorum: at hanc perficit solus intellectus non valens summam rem vnico conceptu adæquato comprehendere.

Tercia conclusio. Illa propositio. In Deo sunt multæ attributales perfectiones, continet hunc sensum: diuina perfectio æquiualeat multis perfectionibus formaliter, & realiter distinctis.

Quarta conclusio. Concedit potest in Deo esse multas reales perfectiones absolutas, non tamen multas realitates.

## QVÆSTIO. 3.

*Verum perfectiones attributales ab essentia realiter, aut formaliter, aut sola potius ratione distinguantur?*



Ro explicatione quæstionis nonnullas statuimus cōclusiones. Prima cōclus. Perfectiones attributales in Deo nullo modo aut ab essentia, aut

In diuinis attributis spectatur, cū esse ipsorum, tum multitudo.

1. Propositio.

2. Propositio.

3. Propositio.

4. Propositio.

1. conclusio.

Diuina attributa neque ab essentia, neque inter se realiter distinguuntur. aut inter se realiter distinguuntur. Probatio. Illa distinguuntur realiter, quorum vnum uerè negatur de altero, siue illa distinguantur supposito, ut Ioannes, & Antonius: siue distinguantur essentia in eodem supposito, ueluti dulcedo & albedo in lacte: atqui diuina attributa de diuina essentia, & de se inuicem in abstracto predicantur: etenim essentia diuina est bonitas diuina, & contra, bonitas diuina est sapientia diuina: non distinguuntur igitur re ipsa ab essentia diuina, neq; inter se.

Præterea: Deitas est res vna, ac simplicissima, nullam omnino admittens compositionem realitatum siue absolutarum, siue relatarum: igitur perfectiones, quæ in rebus creatis diuiduntur, in Deo sunt vna perfectio summa, & infinita, quæ est diuina essentia: omnes igitur perfectiones attributales, ceu bonitas, sapientia, iustitia in Deo sunt vnæ: nempe ipsa diuina essentia, ac proinde ab essentia minimè distinguuntur realiter.

**Nota.** Omnes omnium rerum perfectiones in Deo sic reperiri, ut in vnica perfectione excellentioris, & eminentioris gradus contineantur, nempe in perfectione diuinæ essentia: ac proinde hæ perfectiones non ut distinctæ, & dearticulata in ipsa, sed eminenter continentur: quemadmodum gradus substantialis vegetatiui, & gradus substantialis sensitui in gradu substantiali animæ rationalis eminenter continentur. Verum hac de re postea vberius, & distinctius differemus.

**Secunda conclusio.** Diuina attributa neque ab essentia, neque inter se sola ratione præcise distinguuntur. Pro intelligentia conclusionis est explicandum quid sit distinguere ratione. Ratio igitur tribus modis accipitur: primo modo pro rei cuiusque definitione rei naturam & essentiam declarante, quæ dicitur ratio formalis rei. Hoc modo distinguere ratione, nihil est aliud quam definitione distinguere.

Secundo modo accipitur ratio pro conceptione, quam parit intellectus, in qua

res quæ intelligitur representatur intellectui obiectiue, & hoc modo differre ratione est aliud nihil, quam diuersis conceptionibus intellectui obiectiue representari. Hoc modo homo, & equus differunt ratione. Tertio modo accipitur ratio pro ipsa ratione ratiocinante, & hoc modo differre ratione nihil est aliud, quam idem obiectum formale sub aliam, & aliam mentis apprehensionem cadere, ita scilicet ut quod ei conuenit, ut sic apprehenso, eidem minimè conueniat, ut aliter apprehenso. Et hoc est idem à se ipso distinguere secundum rationem. Hinc iam intelligitur duplicem esse causam distinctionis secundum rationem, effectiuam scilicet, & fundamentalem. Causa effectrix huius distinctionis est ipse intellectus eandem rem variè apprehendens. Fundamentalis vero est res illa quæ apta, nata est respondere tanquam fundamentum varijs mentis perceptionibus.

Cum igitur tribus modis ratio accipitur, tertio modo accipitur ratio in conclusione, estque proinde sensus conclusionis: diuinorum attributorum distinctionem cum ab essentia, tum inter se non esse positam præcise in actu rationis, eandem rem aliter, & aliter apprehendentis. Id vero ostenditur in hunc modum. Effectus in actu statuenda est causa in actu: atqui præciso omni actu rationis, intellectus est principium quo productionis filij, & non spiritus sancti, & voluntas est principium quo productionis spiritus sancti, & non filij: & filius procedit per modum intellectus, & non voluntatis, & spiritus sanctus procedit per modum voluntatis, & non intellectus: igitur huius effectus actualis, est causa actualis statuenda: at non videtur esse alia causa, nisi distinctio inter illa: igitur illorum distinctio antecedit omnem actum rationis.

Secundo ita licet argumētari. Quæcūq; differunt ante omnem mentis perceptionem, non differunt præcise se secundum

Quæ differunt ratione.  
Aureolus apud Caprol. 1. d. 2. q. 3.

DIS T I N C T I O N I S S E C V N D A E

rationem: atqui diuina attributa differunt ante omnem mentis perceptionem: non differunt igitur precise secundum rationem. Maior aperta est, minor ostenditur. Preciso omni actu rationis aliquid conuenit uni attributorum, quod non conuenit alteri: namque intellectui diuino conuenit mala intelligere, at uoluntati, non mala uelle: igitur preciso omni actu rationis est distinctio atque differentia inter diuinum intellectum, & diuinam uoluntatem.

Tertio, Bonitas diuina qua bonitas est, differt à iustitia diuina, qua est iustitia: differunt igitur iustitia diuina & bonitas diuina secundum se, & ex natura rei, omnino sublata omni actione intellectus. Cōsecutio firma est, antecedēs ostenditur. Quaecūq; absolute sumpta differunt formaliter & ex natura rei, quantumcūq; applicata, nō mutant significatū formale: at bonitas & iustitia absolute sumpta differunt ex natura rei & formaliter: igitur applicata sic differunt: bonitas igitur diuina, qua bonitas, differt à iustitia secundum se, & ex natura rei, sublato omni actu rationis.

Tertia conclusio. Diuina attributa non differunt formaliter actualiter. Pro intelligentia, & explicatione conclusionis, est notandum illa differre formaliter, quæ ex ipsamet natura rei differūt, ante omnem mentis apprehensionem, qua differentia efficitur, ut aliquid uerè affirmetur de vno, quod uerè negatur de altero, ut homo, & animal. Cum uero definitione rei cuiusque natura declaretur, sequitur ut differre formaliter sit differre definitione. Illa ergo formaliter differunt, quæ definitionibus differunt.

Cæterum hæc distinctio formalis est duplex, una formalis actualis, altera formalis uirtualis. Illa distinguuntur formaliter actualiter, quæ sunt duo obiecta formalia, realiter distincta, ceu homo, & animal: sunt autem duo obiecta formalia, quæ distinctas habent rationes formales adæquatas, ceu homo, & animal. Illa uero distinguuntur formaliter uirtualiter, siue eminenter, quæ re indistincta sunt unum ob-

iectum formale, & multa uirtualiter; hoc est, æquiualens distinctis rebus formaliter & realiter. Illa uero æquiualentia in eo posita est, quia illa una res & una ratio formalis eiusdem rei, sic exercet propria rerum alioqui realiter, & formaliter distinctarum, ac si ibi distinguerentur: hoc modo perfectio plantæ, & perfectio bruti distinguuntur in anima rationali. sic enim anima rationalis una existēs exercet propria uergetatiui gradus, & sensitui, ac si in ipsa distinguerentur, & sub una perfectione eminentioris gradus minimè continerentur.

His ita explicatis tertie conclusioni sic fidem facimus. Illa differunt formaliter actualiter, quæ ut distincta, & dearticulata in aliquo continentur: sunt enim duo obiecta formalia habentia duas rationes formales adæquatas: atqui perfectiones attributales diuine non sunt huiusmodi: etenim perfectiones diuine sub una perfectione eminentioris gradus continentur, qua continentia eminentiori efficitur, ut nō solum diuina bonitas sit diuina iustitia, & diuina iustitia sit diuina sapientia: uerum etiam ratio unius sit ratio alterius, uel certe unum in ratione alterius includatur. Etenim si diuina sapientia esset definitione aliqua explicabilis, in ea definitione ponerentur omnia tam essentialia, quam notionalia, utpote quia sit omnia realiter, & formaliter eminenter: igitur perfectiones attributales in Deo non differunt formaliter actualiter.

Secundo. Quæcūque habent unam formalem rationem adæquatam, non distinguuntur formaliter: nam distinguuntur formaliter, ut prænotauimus, est distinguuntur rationibus formalibus adæquatis: atqui perfectiones attributales diuine habent eandem rationem formalem adæquatam: nō distinguuntur igitur formaliter. Minor ostenditur. Quæcūq; in una simplicissima essentia uniantur, in eiusdem etiā essentia formali ratione uniantur: at perfectiones diuine uniantur in una simplicissima essentia diu-

Durādus  
1. d. 2. q. 2

3. conclu  
sio.  
Diuina at  
tributa  
non diffe  
runt for  
maliter  
actualiter

Quæ dif  
ferunt fo  
maliter.

Distictio  
formalis  
duplex,  
actualis  
una, uir  
tualis al  
tera.

Differen  
tia forma  
liter actu  
aliter sit  
duo obie  
cta forma  
lia, habea  
tia duas  
rationes  
formales  
adæquatas.

Ar  
tun  
hen  
sm

4. c.  
Diu  
nib  
cū a  
tia  
inte  
stiu  
tur  
lire  
tua

For  
ter  
alite  
difi  
que  
difi  
fui  
obi

diuina, ita scilicet ut non solum ipsum esse diuinæ essentia, sit esse diuinæ sapientia: verum etiam esse diuinæ sapientia, sit ipsum esse diuinæ essentia. & ipsum esse diuinæ sapientia, sit esse diuinæ bonitatis: igitur in formalitate diuinæ essentia ununtur, ita scilicet ut ratio essentia sit ratio cuiusque, & vnumquodque illorum includatur in ratione diuinæ essentia. Hanc porro vnicam, & adequatam rationem formalem Deitatis solus ipse summus, ac prepotens Deus cognitam habet, qui se ipsum comprehendit.

Tertio. Si diuinæ perfectiones formaliter actualiter inter se se, & ab essentia distinguerentur, essent in Deo plures rationes formales absolutæ: consequens repugnat diuinæ unitati, & simplicitati: nullo igitur modo in Deo diuinæ perfectiones formaliter actualiter distinguuntur. Sequela patet, quia quæ formaliter actualiter distinguuntur, sunt plura obiecta formalia, plura autem obiecta formalia habent diuersas rationes formales adequatas. Minor ex eo patet, quia illarum rationum vna non est altera, id vero non congruit cum unitate diuinæ naturæ.

Postremo. Deus est infinitus: igitur identificat sibi non solum omnem rem, verum etiam omnem formam, siue omnem modum se habendi formaliter, & omnem modum essendi: aliis aliquis modus essendi esset, qui non continetur in perfectione diuinæ essentia, id quod repugnat eius infinitati.

Quarta conclusio. Diuina attributa cum inter se, tum à diuina essentia distinguuntur formaliter virtualiter. Probatio est huiusmodi. Illa differunt formaliter virtualiter, quæ re indistincta sunt vnum obiectum formale, multa tamen virtualiter: at diuina attributa & essentia, & ipsa inter se sunt huiusmodi: differunt igitur formaliter, virtualiter. Minor singulatim ostenditur. Principio quod sint re indistincta, iam patet ex superioribus. Quod vero sint vnum obiectum formale ex eo perspicitur, quia vnâ habent rationem formalem adequatam, illius scilicet perfectissimæ naturæ, in qua

eminenter continentur. Quod vero illud vnum obiectum formale sit multa virtualiter, ex eo intelligitur: quia æquiualeat rebus distinctis realiter & formaliter. Hæc porro æquiualeat in eo consistit, quia illa summa res continens omnia eminenter, & illa summa eius ratio adequata sic exercet propria singulorum attributorum, ac si ibi formaliter, & realiter distinguerentur. Namque diuina essentia & est intellectus, & est voluntas, ceterum qua intellectus exercet actum intellectus, & non voluntatis, & qua voluntas exercet actum voluntatis, & non intellectus, hoc est, qua voluntas vult, & non intelligit, & qua intellectus intelligit, & non vult.

Hæc etiam æquiualeat ex eo maxime perspicitur, quia diuina essentia, & diuinæ perfectiones attributales terminant actus intellectus essentialiter distinctos, quæ admodum si realiter & formaliter distinguerentur. Etenim intellectus noster aliquæ actum attribuit essentia, ut essentia, quem eisdem non attribuit ut est bonitas: sub alia enim ratione concipitur essentia, & sub alia diuina bonitas. Vtraque æquiualeat reperitur in attributis inter se comparatis: terminant enim actiones intellectus essentialiter distinctas, & quodlibet illorum exequitur propria actionem, perinde ac si realiter & formaliter distinguerentur. Quæuis enim eadem res sint bonitas in Deo, & sapientia, bonitas tamen qua bonitas est diffusiva, & non ordinatiua: & sapientia, qua sapientia est ordinatiua, & non sui diffusiva: bonitas tamen ordinat, & sapientia diffundit se se, non tamen qua bonitas ordinat, sed qua sapientia, neque qua sapientia se se diffundit, sed qua bonitas. Hæc est summa diuinæ naturæ eminentia formalis, qua efficitur, ut omnia ibi sint vna res, & vnum obiectum formale, illa tamen res vna, & illud obiectum formale, sit multa virtualiter, & æquiualeat quemadmodum exposuimus. Hæc est sententia Alfonsi Toletani, l. d. 8. q. 1. art. 2. quam Caietanus est amplectatus. l. p. q. 39. art. 1. quæ eadem nobis magno opere probatur.

formale, & multa virtualiter. Summa diuinæ naturæ eminentia formalis in quibus cernitur.

Argumentum vehementissimum.

4. cōcl. Diuina attributa cum ab essentia, tum inter se distinguuntur formaliter virtualiter.

Formaliter virtualiter ea differunt quæ re indistincta sunt vnum obiectum

Alfonso Caietano

In hac 4. cōcl. apertè ostenditur  
vnde Alibi dicitur formaliter diuina quæ re indistincta  
distinguntur virtualiter, si conueniant

E 4

Quintus



9. cōclus.

Diuina  
attributa  
actualiter  
distingui-  
untur io-  
laratione  
rationate

Quinta conclusio. Diuina attributa & ab essentia, & inter se actualiter distinguuntur sola ratione rationante. Probatio. Quae sunt vnum realiter, & formaliter actualiter, distinguuntur actualiter non possunt nisi ratione rationante: atqui diuina essentia, & diuina attributa, & ipsa etiam inter se sunt vnum realiter & formaliter, quemadmodum docuimus: non possunt igitur actu distinguuntur nisi ratione rationante. Maior ostenditur. Distingui est vnum ab altero separari: at hoc in re vna, ac simplicissima, actualissimaque, non potest effici nisi per actionem rationis: quatenus scilicet vnum obiectum formale varijs respondet mentis conceptionibus, Diuina ergo attributa ab essentia, & inter se se actualiter sola ratione rationante distinguuntur.

Adhuc positis quinque assertionibus nostram de diuinorum attributorum distinctione cum ab essentia, tum inter se se sententiam exposuimus. Superest vt propositis aduersariorum sententiae eadem conclusiones refellamus. Sic enim conclusionum veritas magis elucebit: nostris scilicet confirmatis, & contrarijs profligatis.

REFUTATIO CONCLUSIONUM.

Refutatio  
1. con-  
clusionis

PRIMA nostra conclusio illorum argumentis refutatur, qui diuina attributa ab essentia realiter existimant distinguuntur: vel tanquam diuersas res, vel tanquam modos reales eiusdem rei simplicissimae. Prioris sententiae, & opinionis fundamentum est, quoniam apud ipsas perfectiones attributae nihil sunt aliud, quam conceptus, quos intellectus creatus format de eadem re simplicissima. Ita iuxta hanc sententiam bonitas diuina nihil est aliud quam conceptus de diuina essentia formatus, siue essentia sic concepta: ac proinde multitudo attributorum est multitudo rationum in diuina essentia fundatarum, quae ad modum secundae intentiones fundantur in primis. Ex quo iam intelligitur rationes attributales ante actuali consideratione esse in Deo potentialiter, & fundametaliter du-

taxat: accedente vero mentis apprehensione actu effici.

Cum igitur diuina attributa sint signa, & conceptus significantes diuinam essentiam, conceptus vero neque sint essentia diuina, cum sint accidentia, neque insint in essentia diuina, vt qui sint in intellectu concipientis subiectiue, hinc effectum esse voluit diuina attributa ab essentia realiter distinguuntur.

Porro diuina attributa esse conceptus, id quod totius huius sententiae fundamentum est, ita ostendunt. Cum dicitur, alia est ratio sapientiae, & alia est ratio iustitiae, ratio aut accipitur pro ente rationis, aut pro ente extra animum: non accipitur pro ente extra animum, alioqui multae rationes reales essent in Deo, ac proinde multae realitates, id quod pugnat cum diuinae naturae summa simplicitate. Accipitur igitur pro ente in animo ac proinde ratio sapientiae non est in Deo, sed in intellectu, cui Deus est ad intelligendum propositus.

Præterea, aut intellectus format has creationes attributales, aut eas inuenit in re. Si inuenit, igitur intellectus nihil plus operatur ad rationes attributales, quam ad diuinam essentiam: siquidem in re nihil est tibi aliud, quam diuina essentia. Sin vero intellectus non format has rationes in Deo, cum non format ipsas in esse reali: alioqui perfectiones diuinas efficieret sequitur vt eadem essentia in esse rationis, ac proinde sententia rationis: non sunt igitur idem re ipsa quod essentia Ocham. 1. d. 1. q. 2. Hærric. quodlib. 5 q. 1.

Posterior vero sententia & opinio his rationibus confirmatur. Diuina attributorum nomina non sunt synonyma, neque significant diuersas res simpliciter, eadem igitur rem declarant secundum diuersos modos essendi, multitudo igitur attributorum est multitudo modorum realium vnius simplicissimae naturae. Prior illa consecutio probatur, quoniam quaecumque non sunt synonyma, vel significant diuersas res simpliciter, vel certe eandem rem secundum diuersos modos essendi.

Præterea, De sententia aduersariorum, diuina attributa distinguuntur conceptibiliter, siue

1. Argu-  
Nomina-  
lium.

2. Argu.

Ocham.  
Hærricus  
Ad poste-  
riore sen-  
tentiam  
argumē.

2. Argu.

*Handwritten notes at the bottom of the page, including a large flourish and some illegible text.*

sue varijs modis concipiendi, igitur distinguuntur realiter varijs modis essendi. Conclusio probatur. Varijs illis eandem rem concipiendi modis, vel re ipsa aliquid respondet, vel secus: si nulla res subest, sunt igitur illi conceptus fictitij, & inanes. Sin vero res vlla subest, cum nulla alia esse possit, nisi diversus modus essendi rei, vel res sub varijs modis essendi, namq; diversitas modorum intelligendi consequitur diversitatem modorum essendi, sequitur igitur quod si divina attributa distinguuntur diversis modis concipiendi, distinguantur etiam diversis modis essendi. Hanc porro diversitatem modorum realium multitudinem non repugnare aiunt divinae simplicitati: siquidem ea solum compositionem afferant, quae sunt diversae res, & habent diversa esse, at huiusmodi attributales modi neque sunt diversae res, neque habent diversum esse. Sunt enim modi vnius simplicissimi, & in vno esse fundati: ex quo fit, ut nullam divinam essentiam inducant compositionem latebus. Viterbiensis quodlib. 3. q. 7.

Secunda conclusio his argumentis refutatur. Vbi est vnum obiectum formale sub diversis modis intellectum, ibi est distinctio per solam rationem, quemadmodum satis constat ex definitione eorum, quae distinguuntur ratione: At Deus est vnum obiectum formale, sub varijs modis ab intellectu nostro apprehensum, id quod proficiscitur cum ex imbecillitate intellectus non valentis immensitatem divini esse comprehendere: tum ex divinae essentiae summa unitate, & excellentia, ad quam cum intellectus noster non possit intelligendo pervenire, multis eam necessario, ac varijs rationibus intelligit, quas easdem etiam varijs nominibus exprimit. Deus enim sic nominatur a nobis, quemadmodum concipitur a nobis: & quia sub vnicâ ratione concipi animis nostris non potest, hinc fit, ut neque vno a nobis possit nomine significari: est igitur in Deo multitudo, & distinctio solum secundum rationem.

Accedit, quia intellectus noster Deum intelligit ex rebus creatis: atqui in rebus crea-

tis aliud est sapientia, aliud bonitas, igitur & in nostro intellectu aliud quiddam est sapientia divina, & aliud bonitas divina. S. Thom. 1. d. 2. q. 3. Egid. 1. d. 2. q. 2.

Tertia conclusio his argumentis refellitur. Quaecumque distinguuntur ante omnem actionem intellectus, distinguuntur vel re ipsa, vel ex natura rei: atqui divina attributa distinguuntur ante omnem actionem intellectus, distinguuntur igitur vel re ipsa, vel ex natura rei non distinguuntur re ipsa ut satis patet, distinguuntur igitur ex natura rei, atque formaliter. Minor ostenditur. Intellectus, & voluntas divina sunt in attributis: at haec distinguuntur ante omnem actionem intellectus. Namque ens rationis non praepositur enti reali: at distinctio intellectus & voluntatis praepositur distinctioni reali personarum divinarum: sihus siquidem procedit per modum intellectus, & non voluntatis contra spiritus sanctus per modum voluntatis, & non intellectu: divina igitur attributa ante omnem actionem intellectus distinguuntur.

Præterea. Quaecumque definitione differunt, omnino formaliter, & ex natura rei differunt, definitio siquidem declarat naturam rei: at divina attributa definitione differunt, omnino igitur formaliter, & ex natura rei differunt. Minor ostenditur. Iustitia & bonitas absolute sumpta de definitione differunt, igitur & iustitia infinita, & bonitas infinita: tum quia infinitudo non tollit formalem rationem rei, linea enim & linea infinita eadem ratione formali continentur: tum quia quaecumque absolute sumpta formaliter differunt, cuiusque applicentur, non mutant significatum suum formale, quod est commune tam ijs quae sunt idem, quam ijs quae differunt.

Ad haec. Ante omnem mentis perceptionem sunt omnes perfectiones simpliciter in Deo: at non possunt esse nisi distinctae, igitur ante omnem mentis perceptionem perfectiones attributales distinguuntur in Deo: non realiter, igitur formaliter, & ex natura rei. Minor ostenditur. Nam si omnes divinae perfectiones in vna simplicissima essentia uniretur, sola divina essentia esset perfectio simpliciter.

Postre-

Thomas/  
Egidius.  
Refutatio 3. con-  
clusionis

1. Argu.

2. Argu.

3. Argu.

1. Argu.

2. Argu.

3. Argu.

4. Argu.

Refuta-  
tio 2. con-  
clusionis

1. Argu.

2. Argu.

3. Argu.

4. Argu. Postremo. Illa formaliter distinguuntur de quibus cōradictoria verificantur: alioqui contradictoria dicerentur verè de eadē re: at ante omnem actionem intellectus de diuinis attributis verè dicuntur pugnāria: de diuino siquidem intellectu dicitur esse principium quo productionis filij, de voluntate vero, contradictorium verè dicitur: de intellectu etiam verè dicitur quod mala intelligat, de volūtate vero dicitur quod mala respuat, & nolit: diuina igitur attributa formaliter, & ex natura rei distinguuntur.

Refutatio 4. cōclusionis

Quarta conclusio sic refellitur. Illa formaliter virtualiter distinguuntur, quæ in vno aliquo non formaliter, sed virtualiter eminenter continentur, quemadmodum in sole virtus calefactiua, & humefactiua: atqui perfectiones simpliciter in Deo formaliter continentur, & non virtualiter eminenter: igitur formaliter actualiter, & non formaliter virtualiter distinguuntur. Minor probatur. Quod est virtualiter eminenter tale, non est formaliter tale: sol enim nō est formaliter calidus, neq; formaliter siccus: at Deus est formaliter sapiens, & formaliter iustus: igitur perfectiones simpliciter in Deo formaliter actualiter, & nō formaliter virtualiter, siue virtualiter eminenter continentur. Valent ad huius etiā conclusionis refutationem superiora argumenta omnia quibus tertia cōclusio est refutata.

## DILVTIO ARGVMENTO.

Diluitur fundamentum opinionis tenentis opinionem primæ cōclusionis

Quod igitur attinet ad refutationē primæ cōclusionis, negatur diuina attributa, siue rationes attributales præcisè esse cōceptus mentis nostræ. Non enim sapientia, & bonitas & humōi cætera Deo per intellectum nostrum conueniunt: sed formaliter, & re ipsa Deo conueniunt ante omnem mentis perceptionē: neq; enim Deus est sapiens quia à nobis sapiēs intelligitur, sed quia re ipsa est sapiens. Distinctio tamen horum ortum habet non quidem ex ipsiis rebus attributis: sunt enim omnia quæ Deo attribuuntur res vna simplicissima, æquiualens tamen distinctis realiter per-

fectionibus, sed ex eminentia formali diuinæ naturæ, & ex apprehensione intellectus hanc vnam rem sub varijs conceptibus intelligentis.

Ad primum igitur pro illa sententia cōfirmanda argumentum dicitur, rationē accipi pro conceptu mentali: non quia diuina attributa sint conceptus, aut entia rationis, quasi Deo sit aliquid attributū, quatenus est obiectum nostri intellectus, sed quia in intellectu nostro alius est conceptus diuinæ sapientiæ, & alius iustitiæ.

Ad secundum respondetur adhibita distinctione, nam rationes attributales possunt accipi duobus modis: vno modo pro perfectionibus ipsis attributalibus, altero modo pro conceptibus attributalibus. Si priori modo accipiantur, dicimus rationes attributales inesse in Deo re ipsa ante omnem actionē intellectus, intellectus vero subinde accedens efficit earum inter se actualē distinctionem. Sin vero posteriori modo accipiantur, intellectus format illas rationes, suntque in intellectu nostro subiectiuè: in Deo vero fundamentaliter, idque ante omnem mentis operationem. Sunt etiam illæ rationes aliæ, & aliæ à parte rei, non quidem realiter, aut formaliter actualiter, sed formaliter virtualiter. Nam sublata omni actione intellectus sunt in Deo diuersæ rationes vnius simpliciter perfectionis, diuersæ inquam formaliter virtualiter, quemadmodum exposuimus.

Porro reliqua duo argumenta, quibus ostēdebatur diuina attributa cum inter se, tum ab essentia ipsa distingui modaliter realiter, facile diluantur: prius igitur argumentum diluitur negata consecutione. Ad probationem vero negatur illud quod sumitur. Namque synonyma illa dicuntur, quæ significant eandem rem sub eodem conceptu formali. Ex quo efficitur vt non synonyma illa dicantur, non solum quæ significant diuersas res, vt homo, & equus: verū etiam quæ eandē rem significant sub diuersis conceptibus, siue rationibus, vt actio & passio: cum igitur diuina attributa significant

Diluitur primum eiusdem opinionis argumentum.

Diluitur secunda dilu.

sublata actione intellectus sunt in Deo diuersæ rationes eiusdem simplicissimæ perfectionis, diuersæ inquam, non formaliter actualiter, sed formaliter virtualiter.

Ad refutationem opinionis contra eandem conclusionem.

nificant diuinam naturam sub diuersis conceptibus, sequitur vt sint non synonyma.

Ad 3.

Posterius vero argumentum diluitur negata consecutione. Namque illis diuersis modis concipiendi respōdet aliquid in re, nempe diuinum esse simplicissimū, & vnitissimū, cuius vnitas cum percipi ab intellectu creato non possit, efficitur, vt sub varijs conceptibus illud simplicissimum, & vnitissimum esse, intelligatur.

diuersis de Deo conceptibus respondet a parte rei multa formaliter virtualiter, vel vnum æquiuales distinctis rebus cum formaliter, tum realiter.

Vel certè diuersis illis intelligendi modis respondet aliquid in re indistinctum in essendo: indistinctum inquam realiter, & formaliter, distinctum vero in essendo formaliter virtualiter. Aequiuale enim illa res simplicissima distinctis rebus formaliter, & realiter.

Ex quo iam intelligitur non esse verum in vniuerso, diuersos modos intelligendi oriri ex diuersis modis essendi formaliter: possunt enim oriri, vel ex incomprehensibilitate rei intellectæ, vel ex eo quia res illa æquiualeat rebus distinctis.

Ad 1. contra secundam conclusionem.

Quod vero ad refutationem secundæ conclusionis attinet, ad primum concedimus maiorem illam propositionem esse veram de distinctione actuali, ea siquidem pendet ab actione intellectus præcise, vt diximus: cum quo tamen stat, illa distinguuntur formaliter virtualiter ante omnem actionem intellectus.

Ad 2.

Ad secundum conceditur consecutio: nõ tamen conceditur diuina attributa sola ea distinctione distinguuntur, quæ posita est in apprehensione intellectus. Nam quamuis id verum sit, quod attinet ad distinctionem actualem: non tamen quod attinet ad distinctionem formalem virtualiter.

Ad 1. contra tertiam conclusionem.

Quod attinet ad refutationem tertie conclusionis, primum argumentum diluitur negatione maioris. Namque quæcumque ante omnem mentis actionem distinguuntur, aut realiter, aut formaliter, aut certè formaliter virtualiter, siue formaliter eminenter distinguuntur: quam distinctionem nõ adhibuit Scotus, ea tamen nõ videtur Scotum latuisse, vt satis intelligi potest ex ip-

Nõ adhibuit scotus distinctionem formalem virtuale.

so Scoto. 1. d. 2. quæstio. 4.

Ad secundum negatur maior, namque ad hanc rationum, siue definitionum diuersitatem sufficit distinctio formalis virtualis. Negatur etiam minor, nempe quod diuina attributa definitione differant: quippe cum sint vnum & idem, non solū realiter, verum etiam formaliter, vnde si definirentur, eadem omnino definitione explicarentur. Porro ad minoris probationem respondetur negata consecutione, ad probationem vero priorem illius consequentiæ dicitur, infinitum in tali genere, veluti in genere quantitatis per extensionem, in genere vero qualitatis per intensiōem, non tollere formalem rationem rei. Nam linea infinite extensa eadem ratione continetur, qua linea absolute infinitum tamen in essendo omnino tollit rationem formalem rei, ita vt res absolute sumpta, & res infinita eadem formali ratione minime continentur: non enim sapientia infinita in essendo, & sapientia absolute sumpta continentur eadem ratione formali. Cuius rei hæc est causa, quia sapientia absolute in sua ratione non comprehendit omnem perfectionem simpliciter: sic enim est ipsa, vt non sit bonitas, aut veritas. At sapientia infinita omnem simpliciter perfectionem in sua ratione comprehendit: sic enim est sapientia vt interim sit bonitas, & veritas: ac proinde in conceptu formali ipsius, eoque æquato, illa omnia ponuntur. Caieta, de ente & essentia cap. 6.

Ad 2.

Diuina attributa non differunt definitione. Namque cunq; in vna simplicissima essentia, & in vno simplicissimo esse vniuntur, in vna etiam eiusdem essentia ratione conueniunt.

Infinite in essendo tollit formalem rationem rei

Caietan

Ad posteriore vero illiusmet consequentiæ probationem dicitur, illud esse falsum. Namque illa absolute sumpta sunt communia tam ijs quæ sunt eadem, quam ijs quæ differunt, ac proinde differunt non solum formaliter, verum etiam realiter: at applicata rei infinite in essendo, propter illius rei infinitatem, summam & incomprehensibilem vnitatem & simplicitatem sunt vnū non solum realiter, verum etiam formaliter. Alfonso. 1. d. 8. q. 1.

Obijci contra potest vehementissimè. Bonitas, & sapientia in communi dicuntur

Alfonso Obiectio 1. eaq; vehementissima.

de

DISTINCTIONIS SECVNDÆ

de bonitate, & sapientia tam creata, quam increata, nomine, & ratione, analogicè tamen: igitur ratio formalis bonitatis prædicabitur de diuina bonitate, & ratio formalis sapientiæ de diuina sapientia: at bonitatis, & sapientiæ rationes sunt rationes diuersæ formaliter: igitur bonitatis diuinæ ut bonitas, & sapientiæ diuinæ ut sapientia, rationes erunt formaliter diuersæ. Neganda est consecutio, nam bonitatis, & sapientiæ in communi rationes ob id sunt formaliter diuersæ, quia prædicantur tã de re creata, quam increata. At illæ rationes applicatæ rei infinitæ non diuersificantur formaliter. Nam quemadmodum bonitas, & sapientia in vna simplicissima essentia, & in vno simplicissimo esse illius essentiæ vniuntur: ita etiam in vna illius essentiæ formaliter conueniunt.

Adhuc contra obijcitur. Diuina essentia & est bonitas, & est sapientia: at non eo quo bonitas, est sapientia, neque eo quo sapientia, est bonitas: igitur bonitas & sapientia in Deo omnino formaliter differunt.

Negatur minor. Nam quamuis apud nostrum intellectum diuina essentia non eo sit bonitas, quo sapientia: realiter tamen, & formaliter eo est bonitas, quo sapientia. Etenim quod ad rem attinet, omnium diuinorum est idem esse reale, & formale, at quod ad mentis nostræ perceptionem attinet, mens nostra illud vnum, ac simplicissimum esse sic intelligit, vt alium conceptum formet sapientiæ, alium bonitatis. Ex quo subinde efficitur, vt aliquid attribuat essentiæ conceptæ sub ratione sapientiæ: quod ipsum eidem non attribuit conceptæ sub ratione bonitatis.

Ad tertium Scoti conceditur esse verissimum id quod argumèto illo efficitur, nempe ante omnem mentis actionem esse in Deo perfectiones simpliciter, easque distinctas: non tamen realiter, aut formaliter actualiter, sed formaliter virtualiter.

Ad quartum, dicitur à quibusdam ad illud ipsum sufficere distinctionem rationis inter aliqua, eamque vel actualem, siue cõ-

pletam, vel potentialem siue inchoatam in fundamento: qualem distinctionem habet diuina attributa ante omnem actionem in intellectu. Est enim diuina essentia res eiusmodi, quæ obijci possit varijs perceptionibus mentis. Verius dicitur ad hoc ipsum sufficere distinctionem formalem virtualem, qualem habent diuina attributa ante omnem considerationem mentis.

Ad argumentum vero contra quartam conclusionem respondetur. Formaliter in esse in aliquo accipi duobus modis. Vno modo vt distinguitur contra metaphoricè, & hoc modo formaliter inesse est nihil aliud quam re significatam nominis in aliquo proprie reperiri. Altero modo formaliter aliud inesse in aliquo nihil est aliud, quam esse obiectum formale distinctum. Priori modo bonitas, sapientia, & veritas formaliter insunt in Deo, posteriori vero modo non item, sed eminenter, hoc est, sunt vnum obiectum formale, æquiualens distinctis obiectis formaliter.

QVÆSTIO. 4.

*Vtrum variæ rationes, quas mens nostra de Deo format, habeant fundamentum in re?*

**A**meti diuina attributa dicant, quod ad rem attinet, eandem formalem rationem: quod tamen ad intellectum nostrum attinet, non dicunt eandem rationem, sed diuersam, propter eas, quas superiori quæstione art. 1. & 2. exposuimus causas. Quo circa iam adducitur in quæstione vtrum multis illis rationibus aliquid respondeat in re. Nam quod illarum multarum rationes videantur esse fictitiæ, hinc persuasum esse potest, quoniã conceptus veri, & non fictitij sumuntur de rebus, ita scilicet vt distinctis cõceptibus respondeant res etiã distinctæ: atqui in Deo non sunt multæ res, sed diuina omnia sunt vna summa, simplicissima, & infinita res, nempe

Dilutio  
obiec  
nis.  
Obiec  
mentior  
Dilutio  
Diuina ef  
sentia eo  
quo boni  
tas est sa  
pientia,  
& eo quo  
sapientia  
est boni  
tas reali  
ter, & for  
maliter,  
non tamè  
concepti  
bilitate,  
aut for  
maliter  
virtuali  
ter.

Ad 3.  
Ad 4.

Capra  
d. 3. 1. 4.  
Ad veri  
ficanda cõ  
tradictõ  
ria suffi  
cit dictio  
formalis  
virtualis.  
Ad argu  
cocca. 4.  
conclu  
sionem.

Thom  
igid  
Co

nempe ipsius diuinæ essentia perfectio: nõ videtur igitur posse verè de Deo formari distinctos conceptus. Multa igitur de Deo formata rationes sunt fictitiæ, & non veræ rationes, vtpote quibus in re nihil omnino respondeat.

tanquam in fundamento: tanquam in re obiecta quidem, quoniam Deus animo conceptus est obiectum terminatis varias animi nostri comprehensiones: tanquam fundamentum vero, quoniã veras efficit omnes illas animi nostri perceptiones: siquidẽ ita in re cernitur, atque animo concipitur. Est siquidẽ veritas posita in cõformatio- ne rei apud intellectum.

Hinc etiam perspicitur argumenti initio quæstionis positi explicatio. Namque multis de Deo formatis rationibus quãuis non respondeant multa res: responder tamen res vna immensa, & infinita, quæ æquualet distinctis rebus. Ea autẽ est diuina esse- tia, siue plenitudo diuinæ perfectionis.

QVÆSTIO. 5.

*Verum multitudo rationum, quas de re simplicissima, quæ Deus est, format noster intellectus, necessariò ortum habeat ex reali distinctione, quæ cernitur in creatis?*

Cõclusio vnica. Varijs me- tis nostræ de Deo cõ- ceptioni- bus respo- det aliqd in re, ne- pe pleni- tudo di- uina per- fectiois, tanquam proximũ fundamẽ- tum.

Thomas.

Ponitur de re proposita vnica cõclusio, quæ est huiusmodi. Varijs mentis nostræ de Deo perceptionibus respondet aliquid in re, nempe plenitudo diuinæ perfectio- nis tanquam proximum fundamentum. Prior pars conclusionis ostenditur. Multa quæ Deo attribuit noster intellectus, puta sapientiam, bonitatem, virtutem, & huius- modi cætera, quæ ad perfectionẽ pertinet, non ob id Deo conueniunt, quia hæc ipsa in Deo mens nostra cõsiderat: sed quia ve- rissimè, ac re ipsa in Deo continentur: ipsis igitur varijs mentis nostræ perceptionibus aliquid in re respondet, non multa res, si- quidem diuina omnia in vna simplici di- uinæ essentia perfectione vniantur: igitur vnus rei plenissima, & immensa perfectio, qua plenitudine & immensitate efficitur, vt vnico conceptu percipi non possit: sed multis necessariò mentis perceptionibus, & rationibus subijciatur. Thom. 1. 5. d. 2. q. 3.



Explicatur quæstio duabus conclusionibus, quarũ hæc est prior. Multitudo ratio- num, quas de Deo format noster intellectus, non ne- cessariò accipitur ex distinctione reali, quæ cernitur in creaturis. Probatio. Sublata om- ni comparatione ad creaturas intellectus noster Deum intelligens adhuc formaret varios de Deo conceptus: igitur multitudo rationum in Deo non necessariò ortũ ha- bet ex distinctione reali, quæ cernitur in creaturis. Minor ostenditur tribus argumẽ- tis, quorum primũ sumitur ex natura nos- tri intellectus. Quemadmodum enim se- habet processio diuinæ bonitatis in crea- turas, ita diuinæ essentia vnitas, & simpli- citas ad nostrum intellectum: at processio bonitatis diuinæ multiplicatur in creatu- ris, ob limitationem creaturæ: non enim illa sũma bonitas participari põt à creatura vnica

r. conclu- sio. Multitu- do ratio- nũ, quas de Deo format noster intel- lectus nõ habet ortũ ex dis- tinctione reali quæ cernitur in creatu- ris, sed cũ ex natura nostri in- tellectus, tum ex di- uina na- turæ emi- nentia, & excellen- tia singu- lari.

Egidius.

Posterior conclusionis particula sic ostẽ- ditur. Proximum diuinarum perfectionũ animo conceptarum fundamentum est id quod primo, & principaliter significat: at primo & principaliter significat ipsam di- uinam essentia, siue plenitudinẽ diuinæ per- fectionis diuina igitur essentia, siue plenu- do diuinæ perfectionis est proximũ, & im- media: um tam multarum quæ de Deo for- mantur rationum fundamentũ. Minor ex eo intelligitur, quia remotius significatum sunt ipsa Dei effecta, ex quibus cognitis & perspectis hæc Deo attribuuntur, & nomi- na ad diuinas res nominandas transferun- tur. Quæ ipsa effecta diuinas perfectiones imitatur, vtpote quæ ex ipsis profecta sint. Egid. 1. 5. d. 2. q. 3.

Corol.

Hinc collige hæc rationes inesse quidẽ in intellectu nostro tanquam in re subiec- ta, in Deo vero tanquam in re obiecta, &

vnica

DIS T I N C T I O N I S S E C V N D A E

vnica bonitate, sed multis, quibus illa vnica summaque Dei bonitas representatur: igitur & illud quod in Deo vnum est & simplex plurificatur in nostro intellectu, etiam si immediatè à Deo cognitionem rerum diuinarum acciperet, D. Thom. 1. d. 2. q. 3.

D. Tho.

Secundum argumentum sumitur ex imbecillitate nostri intellectus. Etenim Deus vnica perfectione est omnibus modis perfectus: at intellectus noster illam vnica, ac summam perfectionem vnica perceptione non potest complecti: diuersas igitur perceptiones animo fingat necesse est, quæ sunt diuersæ rationes: ac proinde & diuersa nomina imponit, quibus illæ diuersæ rationes exprimantur. Thom. 1. d. 2. q. 3.

D. Tho.

Tertium argumentum sumitur ex eminentia, & excellentia illius diuini obiecti, etiam clarè visi. Nam intellectus formans conceptum rei eidem minime adequatū, necessario format varios de re illa conceptus: at intellectus Deum cernens nulla etiam creatura conspecta, neque in verbo, neque in genere proprio format conceptū non adequatum illi obiecto, vt pote qui diuinam perfectionem minime comprehendat: varios igitur de diuina essentia, etiam clarè visa format conceptus, & diuersa etiam nomina imponit.

Postremo in Deo est summa vnitas, quæ variè à nobis intelligitur: igitur diuersitas rationum, quas intellectus noster de Deo format, non necessario conferenda est in diuersitatem realem aliquam, sed in summam diuinæ essentia vnitatem, quæ vnica ratione percipi a nobis non potest, de verit. q. 3. art. 2. ad. 3.

D. Tho.

2. conclus.

Multitudo illa rationum summi etiam potest ex creaturis

Posterior conclusio. Distinctio rationis, siue multitudo rationum in Deo accipi potest per comparisonem ad creaturam. Namque intellectus ille, qui Deum intelligit conceptibus creaturarum, distinguit diuinas perfectiones per comparisonem ad creaturas: quarum sunt illæ notiones animo informata: at intellectus noster est huiusmodi: distinguit igitur diuinas perfectiones per comparisonem ad crea-

turas. Maioris probatio. Mens nostra aliè conceptum format bonitatis creaturæ, aliè iustitiæ: intelligens igitur diuina informatis animo creaturarum notionibus, aliè conceptum format diuinæ bonitatis, aliè diuinæ iustitiæ. Minor ostenditur. Mens nostra Deum intelligit ex rebus effectis & procreatis: igitur Deum intelligit conceptibus creaturarum.

R E F U T A T I O C O N C L U S I O N U M.

Distinctio rationis, siue rationum multitudo si non est inanis, eidem aliquid respondet in re, seu fundamentum: multitudo igitur rationum in Deo habet fundamentum in re: vel igitur fundatur in vno, vel in multis, vel in comparatione vnus ad multa realiter distincta. Fieri nõ potest, vt illa diuersitas rationum fundetur in vno. Nam vnum quatenus vnū non est efficiens distinctionis, aut diuersitatis, sed in distinctionis potius, & in diuisionis: fundatur igitur oportet in multis rebus distinctis, vel in comparatione vnus ad multa, quæ realiter distinguuntur. Non in Deo: igitur in creaturis. Ac non reperiri in Deo distinctionem aliquam realem aliquorum, quæ fundet diuersitatem rationum hinc intelligitur, quoniam illa realis distinctio aut esset absolutorum, aut relatorum: non absolutorum, quia nulla huiusmodi realis distinctio in Deo reperitur: neque itidem relatorum. Nam quodlibet diuinorum attributorum ex æquo se habet ad omnia, quæ cernuntur in Deo, essentiam scilicet & relationem: sunt enim perfectiones attributales communes essentia cum personis: at personalitates diuinæ non sic se habent: nã essentia communis est omnibus, personalitates non item: igitur in reali distinctione personarum non potest fundari distinctio rationis hæc, quæ in attributis cernitur. Dur. 1. d. 2. q. 1.

Secundo ita licet argumentari. Id quod est vnum, ac simplicissimum vnitissimè omnia continens, si secundum se intelligatur,

r. Argu. contra præorem conclusionem.

Durandus

2. Argu.

gatur, necessario vnica ratione concipitur: at diuina essentia est huiusmodi, igitur si secundum se, & absolute consideretur, necessario sub vna ratione animo concipitur. Majoris probatio. Illa rationum varietas vnde ortum haberet: aut enim ortum haberet ex vno, aut ex comparatione vnus ad multa. Non ex vno, quia vnum vt vnū non est efficiens causa distinctionis. Non ex multis, quoniam nulla sunt ibi multa, neque actu, neque potentia, neque formaliter, neque virtualiter. Nam diuina essentia identificat sibi omnem perfectionem in vna simplici, ac summa perfectione, quae tamen aequiualeat multis perfectionibus creaturarum rerum, iam si nihil esset, neque extare posset praeter Deum, quem admodum diuina essentia formaliter non est multa, ita neque virtualiter. Neque itidem illa diuersitas sumi potest ex comparatione deitatis ad multa, quae re ipsa distinguuntur. Nam iam sumpsimus Deum secundum se, hoc est, sublata omni ad aliud aliquid relatione, considerari. Non est igitur vnde sumatur illarum rationum veritas, ac proinde sub vna ratione illud intelligatur necesse est.

His duobus argumentis effectū esse voluit Dur. 1. d. 2. q. 3. Omnino rationum multitudinem, quas intellectus noster format de Deo, fundari in multitudine, siue distinctione reali, quae reperitur in creaturis vsq; adeo, vt sublata omni cōparatione ad creaturas, nullus relinquatur locus rationum multitudini, cōtra quod docet nostra prior conclusio.

3. Argu.

Postremo contra eandem conclusionē ita licet argumentari. Beatus videns essentiam non format varios de essentia visa & conspecta conceptus: non necessario igitur intellectus creatus Deum intelligens varios eiusdem animo efformat & effingit conceptus. Antecedens ex eo patet, quia intellectio beata est ipsa diuinæ essentiae visio: at vnica est visio, quemadmodum & obiectum est vnum: est igitur in animo beati vnica dumtaxat diuinæ essentiae perceptio.

DILVTIO ARGVMENTORVM.

Ad primum, conceditur multitudinem illam rationum in diuinis habere fundamentum in re: fundamentum autem illud non esse multa realiter distincta, sed vnum simplicissimum, quod adaequate ab intellectu creato intelligi non potest, ac proinde varie intelligitur. Porro vnum vt vnum non est efficiens, siue fundamentalis causa distinctionis adaequate intellectum, secus si in adaequate intelligatur.

Ad 1.  
Vnum id adaequate intellectionis est fundamentalis causa distinctionis.

Secundum argumentum diluitur hoc pacto. Vnitissimè omnia continens secundum se spectatum vnico conceptu percipitur, si modo conceptu adaequato animo comprehendatur. Secus si cōceptu inadaequato intelligatur: tunc enim necessario sub multis rationibus intelligitur. Iam vero omnis creati intellectus perceptio est illi praestantissimo & eminentissimo obiecto inadaequata.

Ad 2.

Ad tertium respondetur, beatum nullū omnino de essentia visa formare cōceptū: tum quia nulla creata similitudo potest diuinam essentiam distincte representare, tum quia quemadmodum beata mens interuentu diuinæ essentiae, tanquam formae intelligibilis, ipsam met diuinam essentiam contuetur: ita etiam in verbo & conceptu Dei increato ipsum Deum cernit. Vel certe si beatus vllum essentiae visae format cōceptum, ille cōceptus est inadaequatus, vt qui non representet adaequate summā illā perfectionem. Namque beatus etsi totam diuinam essentiam intelligat, non totaliter tamen, hoc est, non omni modo quo cognobilis est, ipsam cognoscit, ac proinde necesse habet, etiam de essentia visa formare varias rationes.

QVÆSTIO. 6.

Vtrum mysterium Trinitatis possit homini naturaliter innotescere?

Pro



DISTINCTIONIS SECVNDÆ

Cōclusio  
vnica.  
Vnitas di  
uinæ es  
sentia in  
trinitate  
persona  
rum, non  
potest ho  
mini na  
turaliter  
innotescere.



Ro explicatione quæstio  
nis ponitur vnica conclu  
sio, quæ est huiusmodi.

Vnitas diuinæ essentia in  
trinitate personarum, nul  
lo modo naturaliter cognosci, aut ostendi  
potest. Hæc conclusio est D. Thomæ. 1. p.  
q. 32. art. 1. Item. 1. d. 3. q. 1. ar. 4. de veritate. q.  
10. art. vltimo. 1. contra gent. cap. 14. & tan  
dem est communis opinio doctorū 1. d. 2.

Huic assertioni ita fidem facimus. Autho  
re diuo Paulo. Inuisibilia Dei, ex ijs quæ fac  
ta sunt intellecta conspiciuntur: atqui ex  
effectis Dei perspici, & inuestigari nō potest  
diuinitas, vt in tribus personis distinctis  
existens, non est igitur vnitas diuinæ natu  
ræ in trinitate personarum naturaliter cog  
nobilis. Minoris probatio. Effecta ducunt  
in cognitionem causæ, quoad eam rationē  
duntaxat secūdam quam profecta sunt ex  
causa: domus siquidem à Ioanne fabricata  
ducit in cognitionem Ioannis, non quidē  
qua Ioannes est: non enim sub ea ratione  
domus profecta est ex Ioanne, sed qua ædi  
ficator est, hæc siquidem ratione domus à  
Ioanne profecta est, est enim domus per se  
effectus ædificatoris, fortuito vero effectus  
Ioannis: iam vero creaturæ sunt à Deo pro  
fectæ, qua Deus est, est enim Deitas omnis  
diuinæ actionis ratio, & principium: ducūt  
igitur hominem in cognitionē diuinitatis,  
at quod ad diuinitatem attinet, nulla est in  
Deo distinctio, sed summa vnitas, & con  
sensus, nō potest igitur Deus ex rebus crea  
tis cognosci quoad distinctionem persona  
rum, sed quoad vnitatem essentia dunta  
taxat. D. Thom. 1. p. q. 32. art. 1.

Augusti. Præterea Diuus Augustinus epistola. 3 ad  
Volusianū de verbo incarnato differens  
sic ait, si ratio quæritur non erit mirabile:  
si exemplum poscitur, non erit singulare,  
at in ijs, quæ nobis sunt diuinitus ad credē  
dum proposita, Trinitatis mysteriū est lō  
ge admirabilius, longeque rarius, & ab ijs,  
quæ sensu percipimus, longe remotius: nul  
la igitur ratione ostendi, nulloque exem  
plo explanari potest.

Accedit postremo, quia fides non habet  
meritum, cui humana ratio, quemadmodū  
docet Gregorius in homilia, præbet expe  
rimentum, igitur homo assentiēdo articu  
lo trinitatis, nihil meriti apud Deū acqui  
reret: at inter omnia, quæ homini de fide  
credenda proponuntur, credere trinitatem  
in essentia vnitate, est maxime merito  
rium, non est igitur illud humana ratione  
cognobile. Hæc est illa sapientia in myste  
rio abscondita, quam Diuus Paulus prædi  
cabat inter perfectos, quam nemo princi  
pum huius seculi cognouit, hoc est, mundi  
sapientes, qui se se totos inuestigationi na  
tura tradiderunt. Tandem nemo nouit pa  
trem, nisi filius, neque filium quis nouit nisi  
pater, & cui voluerit filius reuelare, Mat  
thæi. ii.

Grego. ho  
m. l. 12. 26.  
in euan  
gelium.

1. Cor. 3.

REFVTATIO CONCLVS.

Sunt tamen qui putent posse naturaliter  
demonstrari, Deum esse trinum & vnū.  
Ac horum sententia duabus conclusio  
nibus explicatur, quarum prior est huiusmo  
di. Naturaliter est cognibile in diuina na  
tura reperiri productiones, siue emanatio  
nes. Posterior conclusio. Naturaliter est de  
ducibile diuinam naturam in tribus dun  
taxat personis reperiri.

scot. 1. 2.  
d. 2. q. 4.

Ac priori quidem conclusioni ita fidem  
faciunt. Quidquid de ratione sua formali  
est principium productiuum, illud in quo  
cunque à se, id est, non acceptum produc  
tione adæquata illi principio, & sine imper  
fectione reperitur, est principium alicuius  
productiuum: at memoria perfecta ex sua  
ratione formali est principium producti  
uum notitiæ genitæ, quæ dicitur verbū, igitur  
in quocunque reperiat a se, & citra  
imperfectionem necessariō est verbi pro  
diua: at huiusmodi memoria in Deo repe  
ritur, vel in aliqua persona diuina à se, &  
sine imperfectione, igitur producit ver  
bum: est igitur in diuinis aliqua emanatio.

Porro ad intelligentiam maioris propo  
sitionis, illud est annotandum, duplici ex  
causa euenire, vt principium alioqui suapte  
natura

Duplici  
ex causa  
prouenit  
vt princi  
pium ex

ita ratio  
ne forma  
si produc  
tiuū, non  
fit alicu  
ius pro  
ductiuū.

natura productiuū, nihil in aliquo efficiat, gignatque: vel quia sic in eo reperitur, vt sit acceptum productione adaequata illi principio: veluti si Abel filius Adam fuisset effectus adaequatus generatricis facultatis Adami, vis generatrix Abelis esse nō posset principium productiuum alicuius alterius, nempe quia in eo vis generatrix esset accepta productione adaequata illi principio. Vel quia vis illa, & facultas imperfecta conuenit illi individuo. Ob hanc causam vis generatrix in animali nondum ad legitimam aetatem perducto, non est gignendi principium, siquidem imperfecte eidem conuenit.

Quod igitur attinet ad rem propositam, memoria perfecta vt in filio, & vt in spiritu sancto non producit verbum: siquidem in vtroque sit accepta productione adaequata illi principio: etenim vis generatrix diuina praehabet iam terminum adaequatum in filio: est enim Dei filius terminus adaequatus facultatis generatricis diuinæ. Ex quo efficitur vt neque possit generare alterū filium, neque ipse Dei filius possit diuinam sobolem procreare.

Eadem conclusio hoc itidem argumento confirmatur. Omnis perfectio simpliciter est Deo attribuenda: sed aliquid necessario producere est in perfectionibus simpliciter est igitur illud Deo attribuendum, vt scilicet Deus producat aliquid necessario: at Deus extra nihil efficit necessario: interne igitur: est igitur in Deo interna aliqua productio, siue emanatio. Minor prioris discursus ostenditur. Quidquid de formali ratione non dicit imperfectionem, modus necessitatis ei addit perfectionem: nam necessitas est conditio perfectionis in ente: ergo & in quolibet quod continetur sub ente, quod ex se non dicit imperfectionem: at producere aliquid effectiue in sua ratione formali non includit imperfectionem: igitur necessitas in productione est simpliciter perfectionis.

Posterior conclusio in hunc modum ostenditur. In diuinis sunt duntaxat duæ per-

sonæ productæ, & vna producens non producta: sunt igitur in diuinis solū tres personæ. Antecedens quoad priorem partem sic ostenditur. In diuinis est solū vna persona producta per intellectum, & altera per voluntatem: sunt igitur in diuinis solū duæ personæ productæ. Prior pars antecedentis ostenditur. Memoria perfecta Dei est productiua termini adaequati: nam diuinū verbum diuinæ memoriæ partu editum complectitur omnem perfectionem verbi, siue filiationis possibile: est igitur productiua vnus duntaxat. Est igitur persona producta per intellectum vna solum. Posterior vero antecedentis pars, nempe esse alteram personam productam per voluntatem, eodem modo ostenditur.

Vel certè illud antecedens quoad priorem partem ostenditur in hunc modum. In diuinis sunt tantum duæ productiones: per intellectum vna, quæ eadē dicitur per modum naturæ: per voluntatē altera, quæ admodum enim memoria fecunda Dei est productiua verbi, ita etiā volūtas est amoris subsistentis productiua: at diuinæ productiones sunt perfectæ: igitur persona producta per quamlibet productionem est terminus adaequatus illius productionis: ac proinde qualibet productio ad vnum duntaxat terminatur. Cum igitur in diuinis duæ solum reperiantur productiones, sequitur vt duæ solū sint personæ productæ.

Porro esse duntaxat vnam personam producentem, & nullo modo productam in hunc modum ostenditur. Si innascibilitas, quæ significat esse principium omnium, & ipsum à nullo, est forma cum multis comunicabilis, sequitur vt quemadmodum reperitur in multis, possit etiam reperiri in infinitis: nam forma cum multis comunicabilis ex se non vendicat certum numerum individuorum. Quare si in diuinis sunt multi innascibiles sequitur, vt infiniti sint.

Hoc idem, nempe esse vnam diuinam naturam in multis personis realiter distinctis, haec etiam ratione naturali ostendi potest.

Quid-

ego. ho  
lia. 26.  
euan.  
lium.

Cor. 3.

e. 1. p.  
q. 4.

plici  
aufa  
enit  
rinci  
n er

D I S T I N C T I O N I S S E C V N D A E

Quidquid perfectionis cernitur in rebus creatis, hoc ipsum Deo est attribuendum, sublata tamen omni imperfectione: atqui naturam reperiri in multis suppositis perfectionis est: arguit siquidem illimitationem naturæ, quamuis in illis multis distrahi naturam sit imperfectionis: est igitur illud prius Deo attribuendum, sublato posteriori, nēpe plurificatione naturæ, est igitur diuina natura vna numero in multis suppositis. Durandus, l. d. 2. q. 4.

Durandus

Præterea Deus est infinitum bonum, at bonum ea est natura, vt se cum alijs comunicet, infinitū igitur bonū est bonitatis infinitæ diffusiū: non externe, siquidē nulla res creata particeps esse potest infinitæ diffusionis, & bonitatis, interne igitur. Deus igitur interne se se infinite comunicat.

Accedit ad confirmationem illud quam maxime, quia veteres philosophi videntur sacrā Triadem agnouisse. Etenim Plotinus philosophus Platonicus, quem admodum Eusebius Pamphilus author est, in de preparatione euangelica libro, de tribus hypostasibus librum scripsit, a quibus & res omnes profecta essent, & regerentur, administrarenturque. Ac harum hypostaseon, siue personarum vnam primam, ac principem esse censuit, a qua omnia quæ sunt ortum habuerunt: hæc vero cum perfecta sit, de eius sententia, primum quidem mentem generauit, interuentu vero mentis animam mundi, deinde vero cætera procreauit. Porro principem illam, ac generatricem mentē, Plato, & ipsius studiosi patrem, siue paternum intellectum appellauerunt, mentem vero genitā, quam ex patre, ceu splendorem ex sole oriri dixerunt, causam rerū nominauerunt, vt pote in qua inessent rerum omnium, quæ fierent, exemplaria. Ita Plato ex ipso bono mentem, ex mente vero animam mundi profectam esse censuit, quibus ita diuinitatem tribuit, vt primum, secundū, & tertium Deum appellaret. Idem etiam Plato in epistola scripta ad Dionysium tyrannū, iurandum esse censuit per tres, nempe pa-

Plato.

Plato videtur sacrā Triadem agnouisse.

trem omnium, cuius gratia sunt omnia, & in quo sunt omnia, & per secundum, & tertium: cumque iuramentū, interposito numine, fieri cōsueuerit, sequitur vt lato censuerit esse tria diuina numina cultu, & pietate dignissima.

Vulgata est etiam illa Mercurij Trimegisti sententia. Monas genuit Monadem, & in se suum reflexit ardorem, quibus verbis significatur vnus pater, vnus filius, & vnus vtriusq; amor ardentissimus, qui est spiritus sanctus. Is æternā filij a patre generationē, & spiritus sancti ab vtroq; per amorē mutuum processione inuinauit in Pymadro sic aiens, Mens Deus, Mentis vero germen, verbū lucens Dei filius, horū vnio vita est. His verbis Mercurius mysteriū Trinitatis videtur significasse, nempe patrē generatē, Filium genitū, & vtriusq; vnionē, siue cōmunionem, spiritū sanctum, quem eundem vitam appellat. Nam & in symbolo spiritus sanctus dicitur viuificans. Idem eodē loco. Verbū domini, Mens autē pater Deus. Neq; distant ad nuicē, consubstantialē enim erat. Ex quibus omnibus intelligi potest etiam philosophis innotuisse diuinarū personarum Trinitatē: cūq; ex diuina reuelatione hoc minime acceperint, sequitur vt ad hanc notitiam naturali ratione peruenerint.

D E F E N S I O C O N C L V S I O N I S , & a r g u m e n t o r ū d i l a t i o .

PRimum argumentū dilueret philosophus negatione maioris propositionis. Nāq; vt sit illa propositio vera in natura capaci productionis passiuæ: non tamen in diuina natura, in quā productio huiusmodi cadere non potest. Nāq; productio passiuæ, siue emanatio est exitus de potentia ad actū: at omnis potencialitas longissimē abest à diuina natura. Ex quo fit vt nihil interne produci possit in diuinis siue actione intellectus, siue actione voluntatis.

Secundū argumentū philosophus dilueret, negās illud, nempe Deū extra nihil necessario producere, quādoquidē philosophi qui Deo externā actionem attributam esse voluerunt, efficientiā ei attribuunt necessariam,

Mercurij

Ad 4

Ad 1.

Ad 2.

Ad 3.

Ad 4.

Philosophi nominantur intellectus, potentia, vnus solus, illuminatus, finis.

No. Que res Dei nita nita & p. tian. dar. Ad Plat. Pla.

fariam, & naturalem, ita vt quidquid est Deo possibile, fit actu necessario. Vnde & mundum, quem possibilem esse Deo intellexerunt, coeternum esse Deo tradiderunt, & argumentis multis confirmauerunt.

Ad 3. Tercium argumentum dilueret philosophus omnino negans esse aliquam in Deo internam emanationem, siue per actionem intellectus, siue per actionem voluntatis. Nam in omni productione fit alicuius de potentia ad actum transductio: iam vero omnis potentialitas longissimè abest à diuina natura.

Ad 4. Ad quartum diceret philosophus non solum esse perfectionis naturam reperiri in multis suppositis, verum etiam multo magis in vnico supposito adaequato illi naturae, complectente omnem illius naturae possibilem perfectionem, quo modo philosophi diuinam naturam suppositum intellexerunt. Existimauerunt siquidem Deum esse vnum, non solum vnitatem naturae diuinam, verum etiam vnitatem suppositi, & ita Dei nomine intellexerunt suppositum absolutum, infinitum, & illimitatum. Et hoc ipsum pertinet ad perfectionem naturae, vt reperiatur in supposito perfectissimo, infinito & adaequato illi naturae.

Ad 5. Quintum argumentum dilueret philosophus distinguendo illud consequens, nempe bonum infinitum esse suae bonitatis infinite diffusum. Nam illud, infinite, si accipiatur ex parte termini, scilicet vt bonitas infinita comunicetur, negatur illud: siquidem vel ad extra fieret, vel ad intra: non ad intra, siquidem vt diximus, nulla in Deum cadere potest ad intra productio: neque ad extra, siquidem infinitae bonitatis nulla creatura particeps esse potest. Si vero accipiatur ex parte principij, conceditur. Nam Deus infinita bonitate se se cum rebus omnibus, quas procreauit, comunicauit, & quaeque res est eiusmodi, quae sui effectione, infinitam effectoris vim, bonitatem, ac sapientiam declarat.

Ad 6. Ad confirmationem vero dicimus cum doctissimo Eusebio, Platonem, & Platonis studiosos illa ex sacris literis desump-

sisse, quamuis eadem vitiose intellexerint. Putauerunt siquidem patrem, & ex patre profectum intellectum esse duos Deos, essentia, & natura differentes. Plato namque tantum tribuit principi illi naturae Mentis generatrici, vt naturam eam esse diceret meliorem, diuinorem, ac superiorem, à qua mens genita omnem discernendi, mouendi & efficiendi vim accepisset. In quo eodem errore Arrius, & Origines Platonem secuti fuerunt. Arrius namque vt filium esse ex patre natum senserit, ο μούου σ' ιου tamen, hoc est, consubstantialem esse negauit.

Omnino autem sic habendum est, quod etsi philosophi intellexerint aliquid à Deo procedere, cui vim diuinam tribuerent: eam tamen emanationem, & productionem fieri existimauerunt, non per identitatem, sed diuersitatem naturae: non enim intelligere humana ratione potuerunt singularissimam naturam cum multis suppositis, solis relatiuis proprietatibus distinctis, comunicari: id siquidem nobis fide est persuasum, & non vlla ratione compertum.

Dicimus igitur Platonem, ac ceteros philosophos vnum verum Deum posuisse, ceteros vero, quos Deos appellauerunt participatione bonitatis dūtaxat, non per naturam Deos esse censuisse, quemadmodum intelligi licet ex Timaeo Platonis. Ceterum Mercurius Trismegistus nobis maius negotium facessit, is enim videtur mysterium Trinitatis agnouisse, vt satis potest intelligi ex ijs, quae citauimus. Vnde & D. Augustinus Tom. 6. in lib. de quinque haeresibus, multa huius viri contra paganos affert de filio Dei vnigenito testimonia, quibus etiam haeticos, nempe Arrium, & Sabellium redarguit. Dicimus igitur cum D. Augustino multa illa & excellentia quae Mercurius de mundi creatione, & de verbo Dei scripta reliquit, non humano eum sensu, & iudicio scripsisse, sed arcano quodam Dei instinctu, quo eodem & Sybillae, gentiles aliqui mulieres, multa de Christo mundi saluatore, ac vnico, veroque Dei filio vaticinate sunt. Quae tamen ipsa, vt inquit Augustinus contra

studiosi multasū- pferūt ex sacris literis, vt ait Eusebius 11. de praeparatione euāg. Aiteriam Augusti. 8. de ciuitate. Dei cap. 11.

Philosophi Dei nomine intellexerunt suppositum vnum absolutum, illimitatum, & infinitum.

Nota. Quelibet res creata Dei infinitam bonitatem, & potentiam declarat.

Augusti.

Faustum cap. 15. licet valeant ad redarguendam gentium vanitatem, non tamen ad auctoritatem stabiliendam, & ad christianae persuasionis dogmata confirmanda. Nam illi ipsi, ut author est Augustinus, suos congenitales ad idola & demonia colenda, partim docere ausi sunt, partim prohibere non sunt ausi. Quocirca in eos competit illud Pauli ad Roma. 1. Qui cum Deum cognouissent, non sicut Deum glorificauerunt, sed euauerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum, etc. Stat ergo firma, & inconcussa assertio nostra, nepe quod philosophis humana ratione mysterium trinitatis minimè innotuerit, tamen si quaedam, quae personis appropriantur agnouerint, & inuestigatione naturae compererint, ut docet D. Thomas. 1. p. q. 32. art. 1. ad primum.

**QVÆSTIO. 7.**

*Verum aliqua suppositione facta possit humana ratione colligi Deum esse trinum, et unum?*

Cōclusio vnica.



Væstio explicatur vnica cōclusionē, ea vero est huiusmodi. Facta suppositione, quod esse possint multae personae in diuinis, naturaliter potest demonstrari vnā diuinā essentiam esse in tribus personis. Hæc conclusio ex tribus propositionibus conficitur naturaliter cognobilibus, quarum hæc est prima. ¶ Diuinæ personae solis relationibus originis distinguuntur. ¶ Secunda propositio. Hæc origines sunt duae solū, quarum vna est generatio, altera vero per modum voluntatis productio. ¶ Tertia propositio. Harum originum quaelibet ad vnum dūtaxat productum terminatur.

1. propositionis probatio

Ac primae quidem propositioni ita fidem facimus. In diuinis, iuxta hypotheseos, sunt multae personae: distinguuntur igitur re ipsa: aut igitur re absoluta, aut relatiua: non re absoluta, namque omne absolutum in diuinis, aut est essentia, aut aliquid consequens essentiam diuinæ per-

sonae distingui non possunt essentia: Nam cum Deus sit vnus (id quod est etiam naturaliter cognobile) sequitur vnā numerō diuinā essentiam esse in multis personis, ac proinde diuinā essentiam neque distinguere personas, neque distingui in personis. Nec itidem distinguuntur absolute quod consequatur essentiam, namque illud esset adiunctum essentiae, ac proinde faceret cum diuina essentia compositionem. Ita fit, ut diuinæ illae personae dables re absoluta minimè distinguantur, distinguuntur igitur relatione: non quacunque tamen, sed relatione originis, id est, consequente actum originis. Id vero in hunc modum ostenditur. Relationum, Authore Aristotel. quinto metaphys. tria sunt genera, quadam fundantur in vno, ut relationes æqualitatis, & similitudinis: quadam vero fundantur in ratione mensurae, & mensurabilis, ut scientia & scibile: aliae fundantur in actione & passione, siue in origine actiua & passiua, ut pater, & filius. Diuinæ personae non possunt distinguere relationibus primi generis, tū quia relatio constituens personam, distinguit etiam personam, at relatio æqualitatis, & similitudinis non constituit: sed supponit personam constitutam, quae æqualis, & similis alteri dicatur: tum quia relatio æqualitatis in diuinis est relatio rationis dūtaxat. Neque itidem possunt distinguere relationibus secundi generis, partim quia in Deo nihil mensuratum reperitur, sed ipse potius omnium est mensura: partim quia hoc genus relationis saltem ex altero extremo non est reale. Distinguuntur igitur diuinæ personae relationibus originis, originis inquam actiuae, & passiuae: ita primae propositioni fidem naturali ratione fecimus.

Iam vero secundam propositionem, nempe esse in diuinis duas origines, siue emanationes, quarum vna est generatio & per modum naturae, altera vero processio & per modum voluntatis, ostenditur hoc pacto. In diuinis est aliquid procedens per actum intel-

2. propositionis probatio

intellectus, & aliquid procedens per actum voluntatis: atqui productio per actum intellectus est generatio, productio vero per actum voluntatis est processio: igitur in diuinis sunt duæ emanationes: quarum vna est generatio, altera vero spiratio, siue processio. Maior quoad vtranq; partem in huc modum ostenditur. Id quod ex sua ratione formali habet quod sit principium productiuum in quocunq; sine imperfectione reperitur, est principium productiuum: at memoria perfecta, & voluntas habent in sua ratione formali quod sint principia productiua, illa verbi, hæc amoris, igitur in quacunque natura citra imperfectionem reperiantur, sunt principia productiua: reperiuntur autem in Deo citra omnem imperfectionem, sunt igitur in Deo principia productiua: ac proinde in Deo duplex emanatio reperitur intellectus vna, voluntatis altera. Minori vero propositioni, quoad priorem partem ita fidem facimus. Quidquid ex ratione suæ processiois habet quod sit simile gignenti, illud habet rationem geniti: nam quod generatur accipit naturam gignentis, vnde generatio esse dicitur via, qua fit processio ad naturam, cuius interuentu id quod gignitur assimilatur gignenti: at verbum procedens à memoria secunda, id est, ab intellectu informato specie rei intellectæ, est simile intellectui informato specie rei intellectæ: igitur verbum generatur, ac proinde productio per actum intellectus est generatio. Posterior vero minoris propositionis pars ex eo intelligitur, quoniam quod procedit per actum voluntatis, non habet ex ratione suæ processiois quod sit simile, aut dissimile ei à quo procedit, quamuis ei sit simile: ac proinde eiusmodi emanatio non est generatio, sed simpliciter processio, siue spiratio. Ita iam patet secunda propositio.

Reliqua est tertiæ propositionis probatio. Diuinæ hæc productiones habent & quod sint diuinæ, & quod sint perfectæ: quia diuinæ, id quod procedit diuinum est, & Deitatis particeps, essentia ab eo, à quo proce-

dit, indistinctum: Nihil enim interne reperiri in Deo potest quod sit à diuina natura alienum. Quoniam vero perfectæ sunt, quælibet productio ad vnũ duntaxat productum terminatur, quod sit adæquatus terminus illius productionis, illudque subsistens. Verbum enim ex creato intellectu profectum accidentarium est, essentia à gignente distinctum, minimeque subsistens, sed in intellectu intelligentis inhærens. Id quod ortum habet ex generatricis facultatis imperfectione.

Ex ijs, quæ adhuc à nobis naturalibus rationibus demonstrata sunt, aperte intelligitur, supposita, ac data personarum multitudine in diuinis, naturaliter posse demonstrari, in diuinis esse vnã essentiam in tribus personis, quarum vna sit producens, & minime producta, reliquæ vero duæ sint productæ.

REFUTATIO CONCLUS.

Videtur impossibile, & includere repugnantiam, esse vnã essentiam cum personis multis communem, nulla igitur suppositione facta id aperte, & euidenter concluditur. Antecedens ostenditur tribus rationibus, quarum prima est huiusmodi. Eadem vni tertio sunt eadem inter se, atqui diuinæ personæ sunt eadem diuinæ essentia, sunt igitur eadem inter se. Nulla igitur fieri ratione potest, vt vna, ac singularissima natura in multis re ipsa distinctis suppositis reperiat.

Secundum argumentum. Quando tota perfectio speciei in vno supposito reperitur, ita vt omnis perfectio individualis sub qua illa natura nata est reperiri, in vno co indiuiduo contineatur, impossibile est illius naturæ esse multa supposita. Vnde primo de cælo, ob id ostenditur esse tantum vnũ mundum, quia constat ex tota materia possibili, at tota perfectio diuinæ nature cum quoad esse essentia, tum quoad esse existentia, inuenitur in vno supposito dato, impossibile est ergo in eadem natura inueniri plura supposita.

Tertium argumentum. Multiplicatis

Tert<sup>a</sup>æ  
proposi-  
tionis p-  
batio.

ropo-  
onis  
batio

1. Argu.

2. Argu.

suppositis, multiplicatur natura, id quod cernitur in rebus creatis omnibus: igitur data in diuinis suppositorum multitudine, impossibile est esse vnum Deum: at esse vnum Deum ratio naturalis cōuincit: impossibile est ergo, vt in diuinis in eadē natura sint multa supposita.

Porro illæ rationes, quibus id supposita personarū multitudine, cōfici ac demonstrari videbatur, sumunt falsum, nempe distinctionem fieri per solas relationes originis: negaret enim illud philosophus naturali solum lumine imbutus, vt qui impossibilem esse putet multorum suppositorum summam cōuenientiam in absoluto. Vnde positio multitudinis suppositorū in diuinis tollit vnitatem Deitatis.

Fortasse his rationibus adductus Arrius, in eam est sententiam inductus, vt existimaret vnam numero essentiam diuinam non posse in multis suppositis realiter distinctis reperiri, id quod tamen testatur fides catholica. Cui Arrii opinioni videtur non obscure, sed aperte satis Erasmus applaudere multis locis, quos profert Comes Carpensensis contra Erasmus lib. 12.

**DILVTIO ARGUMENT.**

**P**RO explicatione argumentorū contra veritatem catholicæ fidei præmittendas putamus nonnullas propositiones, quarum hæc est prima. Rationes, quæ contra mysterium trinitatis ab impijs, & infidelibus afferuntur, non possunt à nobis sciētificè dissolui, ita videlicet vt nobis earum solutio sit euidens. Namque per idem, & eodē modo cōstat de falsitate propositionis, & de veritate propositionis oppositæ: at de veritate propositionis, quæ tradit articulū trinitatis nobis non potest euidenter constare & sciētificè, vt docuimus: igitur neque de falsitate propositionis sibi oppositæ.

Secunda propositio est huiusmodi. Mysterium trinitatis non tollit illud principiū, Eadē vni tertio sunt eadem inter se. Nāque illud principiū tribus modis exponitur, primo modo sic. Eadē re, & ratione vni tertio sunt eadē inter se: iam vero diuinæ personæ

quāuis sint eadem vni tertio, nēpe diuinæ essentia secundum rem, non tamen secundum rationem, siue concipientem, siue cōceptam, id quod alibi docebimus: ac proinde non sunt inter se eadem.

Secundo modo sic exponitur. Eadē vni tertio adæquate, & conuertibiliter, sunt eadem inter se: iam vero diuinæ personæ licet sint eadem vni tertio, quæ est essentia, non tamen sunt eadem adæquate & conuertibiliter, nempe cum in aliquo reperiatur essentia scilicet in filio, in quo eodem paternitas minimè reperitur.

Tertio modo sic exponitur. Eadē vni tertio sunt eadem inter se, eo modo quo vniūtur in tertio: cum igitur diuinæ personæ sint eadem illi tertio, nempe essentia, realitate essentia, sunt etiam inter se eadē secundum rem, nempe realitatem ipsius essentia, vt interim inter se distinguantur realitate oppositarum relationum.

Tertia propositio. Articulus trinitatis tradens vnitatem essentia in distinctis personis nihil omnino continet repugnantia. Nam si aliquid cōtineret repugnantia, ea esset quia cum multitudine staret vnitatis, & cū distinctioe indistinctio, idque vnius & eiusdē rei: at hæc in diuinis minimè reperiuntur, nam quamuis diuinæ personæ sint vnæ res, quemadmodū traditur extra de trinitate, & fide catholica cap. dānamus, vnitatem essentia in qua cōueniūt: sunt tñ multæ res realitate relationū oppositarū, quibus distinguūtur.

Ita fit vt vnitatis & multitudo, distinctio & indistinctio ad diuersa referantur: vnitatis quidem, & indistinctio ad essentiam, & respectu essentia: distinctio vero, & multitudo ad relationes oppositas: & respectu relationum oppositarum.

His quasi præiactis fundamentis, superest vt argumenta, quibus christianæ fidei veritas conuelli videbatur, diluamus.

Ad primū igitur argumentū iam patet responsio ex ijs, quæ in secunda propositione docuimus.

Ad secundum respondetur vno modo, esse in diuinis multitudinem suppositorum propter

huius principij, Eadem vni tertio sunt eadem inter se.

Arrii fundamentū

Arrii opinioni Erasmi videretur applaudere. Vide commentem Carpensē lib. 12. 1. propositio.

2. propositio.

Triplex explicatio

3. propositio.

Ad 1.

Ad 2. prima telio.

propter gaudij, & amoris plenitudinem. Namque gaudij plenitudo citra consortium constare non potest. Etenim auctore Boetio, nullius rei sine consortio esse potest iucunda possessio. Amoris etiam plenitudo illud requirit, ut sit mutuus. Hac responsio nondum diluit argumentum. Nam habere gaudij plenitudinem cum alio, & in alio, eius est qui non habet boni sufficientiam in se ipso, at Deus habet omnis boni sufficientiam in se ipso, ac proinde ad plenitudinem gaudij non indiget consortio. Non necesse est igitur multa ponere diuinæ naturæ supposita.

Boetius.

obiectio

Dilutio.

Diluitur obiectio in hunc modum. Hac ratio concluderet, si supposita diuinæ naturæ secundum essentiam distinguerentur, sic enim fieret ut plenitudo gaudij quam habet pater in filio, esset in aliquo extrinseco, & pater non haberet illud plenissimum, & cumulativissimum gaudium in se ipso. Ceterum quia pater totaliter est in filio, & filius in patre propter essentiae unitatem: hinc fit ut quod habet pater in filio, habeat in se ipso. Imo vero neque patri esse potuisset gaudium in se ipso, nisi in filio: quandoquidem filius verbum, & conceptio est patris: iam autem nemo potest gaudere de se ipso, nisi per conceptum quem habet de se ipso.

2. respon-  
sio, & ap-  
prietur ad  
argumentum

Secundo modo respondetur maiorem esse veram in natura limitatam, & finitam: secus in natura illimitata & infinita. Namque naturæ infinite tota perfectio tam secundum esse essentiae, quam existentie, non solum in vno, verum etiam in multis suppositis potest reperiri, propter sui infinitatem & illimitationem.

ad 3.

Ad tertium respondetur, maiorem esse veram in natura limitatam & finitam. Nam in creatura essentia non est suum esse, sed habet esse prout est in supposito: ex quo consequitur ut numeratis suppositis, numeretur esse, ac per consequens numeretur ipsa natura, contra res habet in natura illimitata, & infinita. Nam cum hæc natura sit suum esse, non acquirit esse in supposito, neque à suppo-

sito. Ex quo fit subinde, ut numeratis suppositis, non numeretur esse, ac per consequens neque natura. De materia huius, & præcedentis questionis vide Thomam locis supra citatis. Egid. 1. d. 2. q. 5. Durandum. 1. 5. d. 2. q. 4. Alphonsum. 1. d. 2. q. unica, art. 3. Argentinam. d. 2. q. 1. art. 2.

Thomas;  
Egidius.  
Durandus  
Alfonfus  
Argentina

## DISTINCTIO TERTIA.

### Resolutio tertiæ distinctionis.

**D**istinctione tertiæ differit magister de cognitione Dei per viam naturæ, hoc est, per lumen naturale ex rebus creatis, et ponit tres conclusiones.

*Prima conclusio.* Deus potest cognosci ex rebus creatis triplici via, nempe via casualitatis, ut docet auctoritate Ambrosii, et via remotionis, ut docet auctoritate Augustini, et via perfectionis, a quo excellencia, ut docet eiusdem Augustini auctoritate.

*Secunda conclusio.* In rebus creatis apparet vestigium trinitatis, nempe unitas, species, et ordo. Hec siquidem tria in qualibet re creata conspiciuntur. Quælibet enim est una, per quam unitatem datur intelligi pater, a quo sunt omnia. Et quælibet est in certa specie constituta, per quam speciem datur intelligi filius, per quem, tanquam per primam formam sunt omnia. Et quælibet res habet suam ad finem inclinationem, et ordinabilitatem: per quam ordinabilitatem spiritus sanctus designatur, in quo sunt, et subsistunt omnia.

*Tertia conclusio.* In anima nostra elucet vestigium trinitatis, nempe intellectus,



*Voluntas, & memoria, quae in una anima essentia sunt tres potentiae: quemadmodum in una Deitatis essentia sunt tres personae. Et quemadmodum tres personae sunt unus Deus, una vita, una essentia, sic etiam memoria, intelligentia, & voluntas sunt una mens, una vita, una essentia. Est etiam altera similitudo in anima nostra, nempe Mens, notitia, amor. Mens novit se, & diligit se, noscendo se producit notitiam, diligendo se & notitiam, producit amorē. Mens parens, notitia proles, amor complexus parentis, & prolis.*

**QVÆSTIO. I.**

*Vtrum Deus sit à nobis cognobilis in via?*



In circa distinctionem tertiā multa à theologis vocari in controuersiam, & quæstionem consueverunt: in quibus illud est primum, an Deus sit pro statu viæ cognobilis? Quæ ipsa quæstio non nullis de more conclusionibus explicatur: nonnullis prius annotatis, atque præpositis. In quibus illud est primum, tria esse perfectionum Deo attributarum genera. Quaedam enim sunt perfectiones absolutæ, positivæ, quæ significantur per modum substantiæ, vt essentia, substantia, spiritus, vita: vel per modum adiunctarum formarum, vt bonitas, sapientia. Hæc siquidem perfectiones vt sint idem quod essentia diuina (nequidem aliud est Deus, & sua bonitas) intelliguntur tamen à nobis quasi quadam formæ diuinæ essentiæ adiunctæ, & ipsam quasi consequentes. Sūt aliæ perfectiones, quæ habitudines quasdam declarant Dei ad creaturas, vt creator, effector, prouidens, & omnino nomina omnia, quæ causalitatem important. Tertio loco

numerantur illæ perfectiones, quæ negatione explicantur earum imperfectionum, quæ cernuntur in creaturis, vt illimitatum, infinitum, immutabile, incorporeum.

Secundo notandum Deum ratione naturali cognosci tribus vijs .s. via eminentiæ, cum scilicet omnē perfectionē in creatura repertā ei tribuimus: cū enim id quod est in effectu, præstātius insit in causa: inde colligimus perfectionem quanq; Deo excellentius conuenire, ac proinde cūctis ipsum rebus antecellere. Cognoscitur etiam Deus per viam efficientiæ, cum scilicet effecta quæ cernuntur, in suas causas referimus: cunq; aliquis tandem causarū exitus occurrat, concludimus esse summā aliquam, ac principē causam, aqua sunt omnia profecta, quæque omnibus motum afferat, & causalitatem impertiat, cum ipsa interim neque motum aliunde subeat, neque ab alio sit causata.

Postremo, Deus cognoscitur via remotionis: cū scilicet Deo detrahitur, quidquid imperfectionis in rebus creatis cernitur. Hanc triplicem diuinitatis cognoscendæ rationem Dionysius docuit in libro de diuinis nominibus cap. 2.

Tertio notandum, ex prima illa diuinitatis cognoscendæ ratione illa existere nomina, quibus significatur perfectio simpliciter, quam melius est inesse, quā non inesse: ex secunda vero existere nomina ad significantia habitudines Dei quasdam ad creaturas: ex tertia porro existere nomina priuantia, quibus declaratur remotio alicuius imperfectionis.

His in hunc modum constitutis, nonnullas iam subiungimus conclusiones ad propositæ quæstionis explicationē attinentes. Prima conclusio. Deus nullo modo est à nobis pro hoc statu viæ immediatè in se ipso cognobilis. Probatio. Cognitio Dei immediatè in se ipso est cognitio intuitiua: atqui haberi hæc de Deo, pro hoc statu, ab homine nullo modo potest: igitur Deus nullo modo est à nobis pro statu viæ immediatè in se ipso cognobilis. Minori fidem

Negatiue

Triplex Dei cognoscendi ratio.

r. conclusio.

Dei immediatè in se ipso cognitio non est homini viatori possibili.

facit

Perfectio num que Deo attribuantur tria genera.

Positiua absolutæ

Positiua respectiua.

facit primum sacrae scripturae irrefragabilis  
 1. Tim. 6. authoritas. Dicitur enim .1. Timoth. 6. Ha-  
 bitat lucem inaccessibilem, quam nullus  
 hominum vidit, sed neque videre potest.  
 1. Cor. 13. Item .1. Cor. 13. Nunc in speculo, & in ænig-  
 matè, idest, in representatiua Dei imagine,  
 tunc autem, idest, post vitæ huius statum,  
 facie ad faciem, hoc est, intuitiue cognos-  
 2. Cor. 5. cam. Item .2. Corin. 5. Nunc per fidem, non  
 per speciem ambulamus. Item, Ioan. 1. Deū  
 nemo vidit vnquam. Suffragatur D. Dio-  
 Dionysius nysius in libro de caelesti hierarchia cap. 4.  
 sic inquit, si quis fortasse dixerit diuinas  
 apparitiones ex Deo absq; vlllo medio qui-  
 busdam sanctorum contigisse, is illud quo-  
 que de sacratissimis libris sapienter intel-  
 ligat, secretum ipsum Dei, quodcunque il-  
 lud, sic neminem vnquam vidisse, neq; vi-  
 surum. Idem etiam eiusdem libri cap. 1. sic  
 ait. Neque enim fas est, infirmitati nostræ  
 lucere diuinum illum radium, nisi sacro-  
 rum varietate velaminum opertum, &  
 his quæ nobis familiaria sunt ( prouiden-  
 tia paterna, naturæ se mortalium accom-  
 modante ) vestitum. Non est igitur ho-  
 mini pro statu viæ cognitio Dei immedia-  
 tē in se ipso, possibilis.

Facit ad hoc ipsum & hæc ratio. Cog-  
 nitio Dei ea, non est homini pro statu viæ  
 possibilis, quæ ipsum excludit à statu viæ:  
 atqui cognitio Dei immediate in se ipso  
 hominem excludit à statu viæ, non est  
 igitur homini viatori possibilis. Maior no-  
 ta est, siquidem impossibile sit hominem  
 simul manere in via, & esse extra viam,  
 illa igitur cognitio Dei est homini manen-  
 ti in via impossibilis, quæ illum ex-  
 cludit à statu viæ. Minor ex eo patet,  
 quoniam cognitio Dei immediate in se  
 ipso hominem beat, at beatus desinit es-  
 se viator, cognitio igitur Dei ea, quæ im-  
 mediate habetur de Deo, hominem ex-  
 cludit à statu viæ.

Confirmatur testimonio & authorita-  
 te scripturae, Exod. 33. Quo loco cum Moy-  
 ses à Deo postularet, faciem illi suam con-  
 templandam præberet, continuo audiuit,

Faciem meam videre non poteris: non  
 enim videbit me homo & viuet: quasi  
 diceret, manenti in via, qua huiusmodi  
 non est possibilis facialis Dei visio, vtpo-  
 te quia hominem statu viæ excludat.  
 Hæc conclusio est Diui Thomæ .1. parte,  
 quaestio. 12. art. 11. Et est communis Theo-  
 logorum opinio.

Secunda conclusio. Deus à nobis est co-  
 gnobilis in via in aliquo sui representati-  
 uo. Probatio. Deus est à nobis cognobi-  
 lis in via, vt patet ex autoritate Pauli ad  
 Roman. 1. ita dicentis, inuisibilia Dei ex  
 ijs quæ facta sunt, intellecta conspiciun-  
 tur, sempiterna quoque eius virtus, & di-  
 uinitas. Item eodem loco, philosophos re-  
 prehendit, qui cum Deum cognouissent  
 non sicut Deum glorificauerunt. Item .1.  
 Corinth. 13. testatur, Deum pro hoc statu  
 cognosci, in speculo tamen, & ænigmate.  
 Deus igitur est à nobis pro statu viæ co-  
 gnobilis, & non immediate in se ipso, vt  
 patuit ex prima conclusione, igitur in ali-  
 quo sui representatiuo.

Confirmatur tam prima, quam secunda  
 conclusio autoritate Diui Gregorij. 28. Mo-  
 ral. ita dicentis, Quandiu hic mortali-  
 ter viuitur, videri per quasdam imagines  
 Deus potest: sed per ipsam naturæ suæ  
 speciem non potest.

Tertia conclusio. Deus non est cogno-  
 bilis in via conceptu aliquo simplici, abso-  
 luto, affirmatiuo, diuinitatis proprio. Pro-  
 batio. Deus ratione naturali solum cognos-  
 ci potest per viam eminentiæ, causalita-  
 tis, & remotionis, at his vijs & rationi-  
 bus haberi non potest conceptus Dei sim-  
 plex, absolutus, affirmatiuus, diuinitatis  
 proprius, igitur. etcat. Maior patet ex præ-  
 notatis. Minor ostenditur, via & ratione  
 eminentiæ solum reperiuntur perfectio-  
 nes Deo cum rebus creatis communes, vt  
 bonitas, sapientia, iustitia. Via vero, & ra-  
 tione efficientiæ inuestigantur perfectio-  
 nes importantes habitudines ad crea-  
 turas, viadenique remotionis colliguntur  
 perfectiones negatiuæ, relinquuntur igitur  
 inuesti-

Thomas.

2. cōclus.  
 Deus cog-  
 nosci in  
 hac vita  
 potest in  
 aliquo  
 sui repre-  
 sentatiuo  
 Roma. 1.

1. Cor. 13.

D. Grego-  
 rius.

3. cōclus.

investigatione naturæ non posse sciri perfectionem aliquam Dei simplicem: absolutam, positivam, diuinitatis propriam. Ac proinde non posse Deum pro statu viæ conceptu aliquo simplici, absoluto, positivo, diuinitatis proprio cognosci.

4. cōclus. Quarta conclusio. Deus est cognobilis à nobis in via conceptu aliquo composito diuinitatis proprio, veluti cum Deus intelligitur sub conceptu primi entis, summi boni, finis ultimi. Nam ex simplicibus communibus effici possunt coniuncti proprii.

5. cōclus. Quinta conclusio. Deus est à nobis naturaliter cognobilis, conceptu simplici, positivo, communi ipsi Deo cum creaturis, veluti cum via, & ratione eminentiæ intelligitur sub conceptu, veri, boni, & sapientis.

6. cōclus. Sexta conclusio. Deus est à nobis cognobilis in via, conceptu aliquo simplici connotatiuo, aut negatiuo diuinitatis proprio, veluti cum Deus intelligitur sub conceptu creatoris, effectoris, protidentis, & cōseruantis, illimitati, & infiniti.

7. cōclus. Septima conclusio. His modis omnibus, quibus Deus per viam naturæ est cognobilis, & inuestigabilis, non scitur quid est Deus, sed quid non est potius, vel certè quid Deitatis nomine declaretur. Id quod facile intelligitur, si modos singulos persequamur. Principio cognitio Dei perfectionibus ijs, quæ per viam remotiois Deo attribuntur, non scitur quid est Deus, sed quid non est potius, nempe quod non sit corporeus, non finitus, non limitatus. Cognitio autem Dei perfectionibus illis, quæ habitudine Dei ad creaturas declarant, quantumvis Deo sint propriæ, non scitur quid est Deus, sed quid Deitatis nomine declaretur. Postremo cognitio Dei perfectionibus absolutis, & positivis, communibus tamen Deo cum creaturis, non cognoscitur quid est Deus, sed quid appellatione nominis continetur. Vel certè cognoscitur quid res sit, confuse tamen, indistincte, & in vniuerso. Cognita tamen perfectione Dei simplici, positiva, absoluta, diuinitatis propria, quid sit Deus distincte, & in particulari cognoscitur,

hæc tamen via naturæ haberi nullo modo potest.

Octaua conclusio. Fidei doctrina particularius, & expressius Deus cognoscitur, veluti cum cognoscitur sub conceptu vnius Dei, ac trini, nempe sub distinctis personarum nominibus: patris .i. ingeniti, filij vni-geniti, spiritus sancti procedentis. Hæc tamen cognitio vt sit particularior, & distinctior, obscura tamen est, & ineuidens.

## REFUTATIO CONCLUSVS.

PRIMÆ conclusioni aduersatur auctoritas Augustini. Is siquidem putat & Mosæ Hebræorum duci, & Paulo gentium doctori in vita adhuc manentibus fuisse speciali Dei munere concessum, vt ipsam Dei essentiam clarè intuerentur. Porro hoc traditum est ab Aug. in eo quem ad Paulinam scripsit libro, epistola. 112. Tomo. 2. Quo loco sic ait. Non est incredibile quibusdam sanctis, nondum ita defunctis, vt sepelienda cadauera remanerent, etiam istam excellentiam revelationis eius concessam fuisse. Ac de Mosæ ita testatur eodem loco. Illi antiquo fidelissimo famulo Dei, Mosæ nimirum, in hac terra laboraturo, populumque illum adhuc rectoro, concessum est quod petiuit, vt claritatem domini videret. Item eodem loco. Illa contemplatione dignum etiam tunc habuit populi sui talem rectorem, & ministrum in tota domo sua fidelem, vt quemadmodum concupiuerat, videret Deum sicuti est, quæ contemplatio cunctis filiis in fine promittitur. Porro hoc fuisse Mosæ diuinitus concessum colligit Augustinus ex libro nume. cap. 12. Nam cum Deus Mariæ sororis Mosæ peruiticiam, & insolentiam reprehendisset, ipsum Mosam cunctis seruis, & prophetis anteponebat ait, Audite sermones meos. Si quis fuerit inter vos propheta domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum: at non talis seruis meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est: ore enim ad os loquor ei, palam, & non per anigmata, & figuras

8. cōclus.

1. Argu. Augustinus putat quibusdam ad huc in vita manentibus fuisse concessam facilem Dei visionem

2. C.

2. AT

Suras dominum videt. Hac Dei verba expēdens D. August. loco supra citato sic ait. Quid est, quod eum fecit exceptum? Nisi quod illa contemplatione dignū tunc habuit populi sui talem rectorem, & ministrum, quæ cunctis filiis in fine repromittitur. Videtur Augustinus ita argumētari, cum sub aliquo diuiso vnum membrorum excluditur, alterum includitur: at omnis Dei cognitio aut specularis est, & enigmatica, aut facialis: cui igitur conuenit Dei cognitio, eaque non enigmatica neq; specularis, sequitur vt eidem conueniat facialis, & clara: at Moyses Deum cognouit nō in speculo, & in anigmate: igitur facie ad faciem.

3. Cor. 12. Quod vero ad D. Paulum attinet, ipsemet testatur. 2. Corint. 12. se ad tertium vsq; cœlum fuisse diuinitus prouectum, ibique se audiuisse confirmat arcana verba, quæ humana, & mortali lingua nullo modo possunt enunciari. Hinc colligit Augustinus Paulum diuino munere adhuc in vita manentem facialem Dei contemplationē obtinuisse. Beatus, ait, Paulus, quāuis nouissimus vtique Apostolus erat, de sua illa ineffabili reuelatione nō tacuit. Et glossa inquit, cœlum tertium est spiritale cœlū, vbi Angeli, & animæ sanctæ Dei contemplatione fruuntur: ad quod cum dicit se raptum, signat quod Deus ostendit ei vitam æternam, qua Deus videndus est in æternum. Cum igitur Moyses, & Paulus adhuc in vita manerent, neque dum essent ex corpore soluti, sequitur homini pro hoc statu esse possibilem cognitionem Dei immediatē in seipso. Hanc sententiam amplexatus est D. Thomas sola Augustini autoritate innixus. 22 q. 175. art. 3.

2. Argu. Secunda porro conclusio his argumentis refutatur. Illud representatiuū aut est propriū ipsi<sup>o</sup> Dei, aut est aliquis effect<sup>o</sup> Dei, siue aliqua species effectus Dei: non proprium, alioqui haberetur conceptus Dei simplex, & proprius, contra quod tertia conclusione docuimus: est igitur aliqua species effectus Dei: at hæc non potest Deum re-

presentare, siquidem proprium, & adæquatū representatiuum alicuius non est alterius representatiuū: non potest igitur Deus in aliquo representatiuo cognosci.

Præterea, cognitio abstractiua, hoc est, rei in suo representatiuo haberi de aliquo non potest, nisi antecedente eiisdē rei cognitione intuitiua: at hæc pro statu viæ haberi de Deo non potest: neque igitur abstractiua.

Postremo, simpliciter simplex aut totū scitur, aut totū ignoratur: at Deus pro statu huius vitæ totaliter nō scitur: totaliter igitur ignoratur.

¶ Tertia conclusio hoc argumento refellitur. Deum esse, est naturaliter cognobile: atqui esse est proprius conceptus Dei simplex, & absolutus iuxta ipsiusmet Dei sententiam Exodi. 3. ita dicentis, Qui est, misit me ad vos: igitur etcæt.

DILVTIO ARGVMENTORVM.

AD primum respondetur, conclusionem illam esse intelligendam regulariter, citra miraculum, & de potentia Dei, ac lege ordinaria, cui tamen non repugnas extraordinariē cum miraculo, & per absolutam Dei potentiam posse quempiam nondum vita functum, sed mortalem adhuc vitam degentem ad claram diuini numinis cōspeditionem prouehi, ac hoc modo, nempe extraordinariē, & per miraculū, fuisse Moysæ, & Paulo concessum, vt gloriam Dei viderent, testatur Augustinus. Docet etiam D. Thomas Augustini autoritatem secutus. 1. p. q. 12. ar. 11. ad secundum, sic inquit, sicut Deus miraculosè aliquid in rebus corporeis operatur, ita etiam & super naturaliter, & præter cōmunem rerum ordinem mentes aliquorum in hac carne viuentiū, sed non sensibus carnis vtentium, vsque ad visionem suæ essentiæ eleuauit, vt dicit Aug. 12. super Genesim ad literam, & in libro de videndo Deum. etcæt. Vnde Caietanus in explanatione tituli illius quæstionis qui ita habet, vtrū aliquis in hac vita possit videre

2. Argu.

3. Argu.

4. Argu.

5. Argu.

Ad 1.

Non implicat cōtradictionē cognitionem Dei intuitiua homini vitori comunicari. Hæc opinio est D. Thomæ. 1. p. q. 11. ad 2. Item 22. q. 175. ad tertium. Itē. 3. cōtra gent. c. 45. Item, de verita. q. 10. ar. 11. Est etiam scoti. 4. s. d. 49. q. 12.

Argentine  
3. q. proi.  
Gabrielis  
1. q. prol.

videre Deum per essentiam, sic ait, possit absque speciali miraculo, quo ad hoc, quod sit in hac vita. Et non sumitur illud possit, id est, non implicet contradictionem. Quibus verbis insinuat Caietanus non repugnare: viatori posse communicari intuitivam Dei cognitionem. Quam eius, & D. Thomae sententiam & nos comprobamus. Id vero his argumentis ostendimus. Primum sic argumentamur. Si id repugnaret, & factu esset impossibile, illa repugnantia aut ex natura rei, aut ex natura nostri intellectus, aut ex conditione, & statu viatoris hominis ortum haberet. Non ex natura rei, alioqui illa cognitio esset homini simpliciter impossibilis, at esse possibilem declarant beati comprehensores. Neque itidem ex natura nostri intellectus, alioqui nullus hominum posset ipsam Dei essentiam contueri. Postremo, illa repugnantia non proficiscitur ex statu, & conditione viatoris. Nam viator is esse à theologis definitur, qui caret beatitudine sibi delege, ac potentia Dei ordinata possibili, estque in statu merendi, quæ omnia homini ei conveniunt, qui adhuc in vita manens est ad videndum Deum per essentiam euectus. Nam etsi per essentiam Deum videat, beatus tamen non est. Nam illa Dei visio solū beat quæ permanet, quanque is, qui illam est adeptus, certo scit se nūquam esse amissurum. Ex quo efficitur, ut qui brevi momento Dei essentiam videt, & quodā quasi transitu, non sit beatus, ut qui beatitudinē habeat non per modum formæ permanentis, sed per modum formæ transeuntis. Postremo, sic Deum videns non est omnino merendi statu exclusus: est igitur viator.

Præterea, quæadmodum materia prima se habet ad formas sensibiles, ita intellectus noster se habet ad formas intelligibiles, at Deus potest omnem formam sensibilem in primam materiam inducere, citra omnem ipsius dispositionem, vel quia eandem dispositionem suppleat, vel quia eam minimè requirat, potest igitur Deus in hominis intellectum quavis notitiam inducere,

citra omnem ipsius dispositionem. Thomas Argentina in prolog. questio. 3.

Sunt tamen quid id cum factu esse impossibile existiment, tum fuisse Paulo & Moysè concessum negent. Ac factu id esse impossibile illis rationibus, & autoritatibus volunt esse persuasum, quibus nos conclusionem nostram primam probatam, ac persuasam esse volumus. Porro Moysen Deum per essentiam minimè vidisse, ex ipsius scripturæ verbis colligunt. Nam cum Moyses Exodi. 33 à Deo contenderet, faciē illi suā contemplandam præberet, continuo audiuit, faciē meam videre non poteris. Non enim videbit me homo, & viuet. Pollicetur deinde se illi posteriora sua ostensurum, faciē non item. Adde, quia ex ea loquendi forma, nempe ore ad os loquor ei, non concluditur efficaciter Moysen Deū vidisse, quandoquidem simili dicendi forma in plerisque alijs locis vitur scriptura, & tamen non est ibi sermo de faciali Dei cognitione, quæ beatis in futuro seculo promittitur. Id quod satis declarant illa Iacob patriarchæ verba Genes 32. Vidi Deum facie ad faciem, & salva facta est anima mea, & tamen nullus doctorum hominum dixit fuisse Patriarcham illum ad cōtemplationem diuinæ essentia eleuatum.

Iam autem D. Paulum Deum per essentiam minimè vidisse, quidam ex ipsiusmet Pauli verbis colligunt. Paulus enim ait se audiuisse, non vidisse, igitur ad minus aliquid se raptū, & erectum esse dicit, quam ad videndum Deum per essentiam. Consecutio probatur: quoniam illa beatitudo non est auditio, sed visio, non est multorum, sed vnius simplicissimi objecti. Quocirca existimant non ex scripturæ autoritate convinci: sed ex sententia Augustini teneri, Paulum Apostolum fuisse ad clarā diuinæ essentia cōtemplationē raptum, atque prouectum.

Hic tamen & pro Augustino, & pro nostra opinione haud difficile est respondere. Quocirca pro resolutione questionis hanc statuimus conclusionē. Homo viues

per

Aliorum  
opinio il  
superio  
ri contra  
ria.

Caiet. 22.  
q. 175. ar-  
ticul. 3.

Questio-  
nis opti-  
ma reso-  
lutio.

Quo pacto homini adhuc in vita manenti possit contingere facialis Dei visio

per nullam potentiam potest ad videndam Dei essentiam eleuari. Appello autem hominem viuentem, non eum qui in vita manet, sed eum qui in intelligendo sensuum internorum, & externorum ministerio utitur. Oportet enim vt Dei essentiam visurus à corpore separetur, vel omnino, id quod fit animi ex corpore discessu, vel ex parte, id quod fit plenissima animi ab omni sensuum functione auocatione, interim manente habituali intellectus habitudine ad phantasmata. Hæc conclusio est Diui Augustini de videndo Deum ad Paulinam epistola. 112. Quo loco sic ait de Paulo loque. 13. Potest humana mens diuinitus rapti ex hac vita ad angelicam vitam, antequam per istam comunem morem ex carne soluatur, sic enim raptus est qui audiuit illic ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui, vbi vsq; eo facta est ab huius vitæ sensibus quadam intentionis auersio, vt siue in corpore, siue extra corpus fuerit, idest, vtrum, sicut solet in vehementiore extasi, mens ab hac vita in illam vitam fuerit alienata, manente corporis vinculo, an omnino resolutio facta fuerit, qualis in plena morte contingit, nescire se diceret. Ita fit, vt & illud verum sit quod dictum est, Nemo potest faciem meam videre, & viuere. Exod. 33. quia necesse est abstrahi ab hac vita mentem, quando ad illius ineffabilitatem visionis assumitur. Igitur de sententia Augustini, Homo viuens, hoc est, carnis sensibus vtens, & modo statui viae conueniente intelligens, per nullam potentiam potest ad videndum Deum per essentiam eleuari. Necesse est enim totam mentis intentionem interius aduocari, & in tantæ excellentiæ contemplatione defigi. Tho. 22. q. 175. ar. 3. 1 p. q. 12. ar. 11. ad 2.

Hinc iam facile intelligi, ac perspicui potest aduersariorum argumentorum solutio. Nam quod aiunt visionem Dei per essentiam excludere hominem ex statu viae, id verum est de visione ea Dei quæ permanet, quanq; is qui eam est consecutus, certo sit se nunquam amissurum, non tamen est verum de visione transeunte, quæq; est amittenda,

Hæc siquidem non efficit hominem simpliciter beatum, sed secundum quid, hoc est, in transitu.

Quod vero ad Moysem attinet, dicimus eo loco non tam fuisse Moysæ denegatam Dei visionem, quam declaratum sub quibus dispositionibus homo foret Deum per essentiam visurus. Docuit enim Deus non posse hominis intellectum sub dispositionibus viæ, hoc est, conuersione sui ad phantasmata, ex quibus formas intelligibiles abstrahit rerum sensibiliu representatiuas, Deum per essentiam videre, cum nulla creata species esse possit Dei, prout est in se, representatiua. Hoc illis verbis Deum docuisse facile intelligitur ex Augustino supra citato, ita dicente, ita fit, vt & illud verum sit quod dictum est, Nemo potest faciem meam videre, & viuere, quia necesse est abstrahi ab hac vita mentem, quando ad illius ineffabilitatem visionis assumitur. Homo igitur viuens, hoc est, non in vita adhuc manens, sed carnis sensibus vtens, non potest Deum videre. Et sub hoc sensu sunt accipiendæ illæ authoritates scripturæ, quibus in nostra prima conclusione ostendimus, Dei cognitionem immediatè in se ipso, non esse homini pro hoc vitæ statu possibilem. Necesse est enim hominem mori vel simpliciter, vel secundum quid, vt Dei essentiam videat, quemadmodum exposuimus.

Ad aliud, quod ad Moysem attinet, argumentum respondetur, non ex illis verbis solum fuisse Moysæ facialem Dei visionem concessam, sed ex alijs adiunctis, quemadmodum ex sententia Augustini argumentati sumus. Quod attinet ad D. Paulum, dicimus maluisse dicere se audiuisse, & non vidisse, ut doctrinæ, quam prædicabat, fidem, & authoritatem adiungeret, vt quæ esset ei immediatè à Deo tradita. Erant enim qui Pauli doctrinam minus suspicerent, eo quod Paulus non immediatè à Christo, sed à Christi discipulis didicisset. Quam tamen calumniam Paulus epistola ad Galathas scripta sapientissimè depulit. Ac de 1. argumēt. hæctenus.

Ad secundum principale respondetur, illud

repre-

Exod. 33.

Thomas. Diluuntur argumenta contra opinionis.

atio. pri. elo.

DISTINCTIONIS TERTIAE

representatiuum nõ esse aliquam speciem Dei propriam, sed speciem effectus Dei, quæ ducit in cognitionem Dei, non per modum formæ representatis, sed per modum obiecti cogniti, hoc est, ex cuius cognitione arguitur, & discursu venit in cognitionem Dei, tribus illis vijs initio quæstionis propositis.

Ad 3. Ad tertium respondetur, cognitionem abstractiuam alicuius rei omnino supponere intuitiuam eiusdem vel in sua presentia, vel partis, vel effectus eiusdem rei, vel certè rei alterius cõsimilis. Ita fit, vt qui Romam nunquam viderit, aut montem aureum, Romæ tamen, & montis aurei possit notionem animo informare.

Ad 4. Ad quartum respondetur simpliciter simplex aut omnino cognosci, aut omnino ignorari eodem genere cognitionis. Nam si distinctè cognoscitur, omnino ac simpliciter cognoscitur, ita vt totum obiectum cadat sub cognitionem distinctam, sin vero confuse cognoscitur, totum etiã hoc pacto cognoscitur. Diuerso tamen cognitionis gradu, fieri potest vt omnino & cognoscatur, & ignoretur. Ita fit, vt Deus pro statu via nesciatur simpliciter à nobis cognitione distincta, & simpliciter cognoscatur cognitione confusa.

Ad 5. Ad quintum respondetur distinctione minoris. Nam esse accipi potest duobus modis, vno modo propriè, altero modo appropriatè. Esse propriè accipitur quoad id quod formaliter significat, est autem illud, actus essendi, Ac hoc modo, esse, est commune quiddam Deo cum creaturis, etenim actus essendi rebus omnibus quæ sunt conuenit. Esse vero appropriatè, soli Deo conuenit, vt qui solus verè est. Solus autem verè est, tum quia semper est, tum quia nõ esse nõ potest.

Ensi excellentiam quandam significat nõ ex formali significatione, sed ex appropriatione. test. Cætera vero quamuis sint, vel nõ semper sunt, vt ea quæ gignuntur, & occidunt, vel non esse possunt, vt res immortales, & incorruptibiles. Ac hoc pacto ens, vel quod est, excellentiam quandam significat, non ex formali significatione, sed ex appropriatione. Veluti si hoc nomen intelligens, alicui

homini vi ad intelligendum præstantissimo attribueretur, quasi cæteri non intelligerent, si cum eo compararentur.

✠ QVÆSTIO. 2. ✠

*Vtrum Deum esse sit per se notum?*

**P**incipio notandum illam propositionem dici per se notam, quæ non per aliud cognoscitur, per aliud inquam complexum, non simplex, hoc est, quæ excludit propositionem aliam, ex qua priori cognoscatur, non autem simplicem extremorum cognitionem. Nam cognitio totius ex singularum partium cognitione constat.

Quocirca in propositione per se nota tria maxime requiruntur, primum vt ad sui cognitionem alicuius extrinseci cognitione minimè indigeat. Secundum, vt cuilibet proposita, terminis cognitis, probetur, tertium, vt naturaliter cuilibet veniat in mentem, eidemque quilibet mentis compos natura duce assentiatur. Hinc iam multa consequuntur. Illud est primum, nullam propositionem contingentem esse per se notam, nempe cum sola experientia cognoscatur. Secundo consequitur, non omnem propositionem necessariam, & immediatam esse per se notam, nempe cum propositiones huiusmodi sensus perceptione, & rerum singularum experientia innotescant. Tertio consequitur, illam propositionem, in qua prædicatum includitur in ratione subiecti non esse per se notam. Nam & definitiones, & partes definitionis sunt inuestigatu difficiles. Postremo sequitur, nõ omnem propositionem euentem esse per se notam. Nam Petro sedente, hæc propositio, Petrus sedet, euidens est ei, qui Petrum sedentem intuetur, non est tamen ex se nota, quia non est nata efficere euentiam suam veritatis cuilibet potenti vt ratione, & significata terminorum intelligenti.

His ita constitutis, ponitur vnica conclusio. Deum esse est omnibus per se notum.

Proba-

Tria requiruntur in propositione per se nota.

Corol. 1.

Corol. 2.

Corol. 3.

Corol. 4.

2. conclusio. Deum esse est omnibus per se notum.

Probatio. Illa propositio est omnibus per se nota, cuius cognitio est omnibus insita à natura, quaque cuilibet venit in mentem naturaliter. At hæc propositio, Deus est, est huiusmodi, est igitur per se nota. Maior hinc intelligitur, quomā Aristotel. authore secundo de demonstratione libro, principia prima à nobis non addiscuntur, sed domo afferuntur, ac proinde sunt nobis ex se nota: at horum cognitio, eodem authore, est nobis insita à natura, est igitur illa propositio ex se nota, cuius cognitio est nobis insita à natura. Minori fidē facit D. Ioānis Damasceni autoritas primo de fide orthodoxa libro cap. i. quo loco ita ait. Verū tamen non est passus Deus nos in omnimoda sui ignoratione versari: in omnium siquidem animis Deus suæ existentiae notitiam impressit.

quoad nos, non tamen omnes, sed sapientes.

Ac primam sententiam tenent Gregor. 1. 5. d. 2. q. 1. Scotus. d. 2. q. 1. Gregorius ita argumentatur. Omne prædicatum per se notum de aliquo subiecto, est etiam per se notum de diffinitione exprimente quid nominis illius subiecti, at hoc prædicatum, esse, non est per se notum de diffinitione exprimente quid nominis ipsius Dei, igitur, esse, non est per se notum de Deo. Minor ostenditur. Nam si vis illius nominis explicetur, & dicatur illo nomine declarari aut primum ens, aut ens necessarium, aut causam primam, aut bonū quo maius aliud excogitari non potest, non est per se notum, esse, verē enunciari de quolibet illorū, partim quia illud philosophis diuturna inuestigatione innotuit, partim quia nunquam aliquod prædicatum est per se notum de subiecto complexo, nisi vna pars complexi verē enuncietur de altera, nunquam enim verē dicitur hominem albū currere, nisi homo ille sit albus. Ad eundem modum, nunquam erit ex se notum primam causam esse, nisi sit per se notum, quod aliqua causa est prima. Neq; itidem est per se notum, ens necessarium esse, nisi sit per se notum aliquod ens esse necessarium, id quod tamen non est ex se notum, sed multo labore à philosophis compertum.

Gregori<sup>9</sup>

Damascenus.

Cicero de natura deorum lib. 1.

De legibus

Maximū argumētum.

Nota.

Confirmatur conclusio Ciceronis testimonio, eo quem de natura deorum scripsit libro, ita dicentis, omnium animis deorum notionem impressit ipsa natura. Item de legibus. Nulla gens est tam fera, quæ nō, etiam si ignoret qualem Deum habere deceat, tamen habendum sciat.

Huic sententiæ illud vel maxime suffragatur, quia apud omnes nationes reperiuntur aræ dijs immortalibus consecratæ, itæque ceremoniæ, cultusque deorum: quæ res docet esse in omnium animis insculptam, & inditam diuinitatis quandam notionē, quam verendam homines existimant, cultuque & honore prosequendam. Et notandum parū interesse, anne Deus ille qui colitur sit verus, aut falsus Deus, satis est enim ad rem propositam confirmandam, quod omnis gens, & omnis natio aliquid colat, & veneretur pro Deo.

REFUTATIO CONCLUS.

HÆc nostra, quam tenemus, sententia multis non probatur: quorū alij omnino negant hanc propositionē, Deus est, esse per se notam, alij vero per se notā esse concedunt, non tamen quoad nos, sed secundum se, alij vero per se notam esse admittunt, nō solum secundum se, verū etiam

Adde, quia in hac propositione, Deus est, nō reperiuntur illa tria quæ in propositione per se nota requiri diximus. Non enim quilibet statim ac terminos intelligit, illi propositioni assentitur: quidquid illud sit quod significatione nominis continetur.

Scotus porro adhibendam existimat distinctionem. Nam, inquit, hoc pronunciatum, Deus est, aut formatur à viatore, aut à comprehensore. Si à viatore, nullo modo putat esse per se notum: sin vero à comprehensore, esse confirmat per se notum. Priorem partem in hunc modū ostendit. Propositio per se nota est illa, quæ nata est efficere evidentiam suæ veritatis cuilibet intellectui distincte, hoc est, sub propria ratione, & conceptu intelligenti terminos ex quibus

Scotus.



DI STINCTIONIS TERTIAE

quibus conficitur, at hæc propositio, Deus est, nō sic se habet respectu intellectus hominis viatoris, non enim terminos intelligit distincte, & sub propria ratione, & conceptu, sed confuse, & sub conceptu communi Deo, & creaturis; igitur hoc pronunciatum, Deus est, formatum à viatore, non est ei per se notum.

¶ Notandum de sententia Scoti, omnem propositionē, quæ est per se nota terminis distincte, & sub propria ratione cognitis, non esse per se notam eisdē confuse, & sub cōmuni ratione cognitis. Cum igitur viator Deum, & esse Dei nō intelligat distincte, & sub propria ratione, sequitur, nō esse eidem per se notum, Deum esse.

Obiectio

Si obiecias Scoto. Nonne esse est per se notum de conceptu Dei possibili haberi in via, veluti de primo ente, de necessario ente, de ente infinito? ¶ Respondet Scotus, neq; hoc pacto esse per se notū Deū esse. Nam ut sit per se notum ens infinitum esse, ens necessariū esse, necesse est ut sit ex se notū, quod aliqua est infinita, & aliqua entitas sit necessaria, sit prima, id quod tamen non est omnibus notum, sed solum doctis viris cognitum, atque compertum.

¶ Posterior pars ostenditur. Propositio illa quam format cōprehensor est nata efficere evidentiam suæ veritatis intellectui cōprehensoris, ut qui extrema huius propositionis, Deus est, intelligat. Cernit enim nō solum Deitatem ipsam, verum etiā ipsam existentiam Deitatis: est igitur illud pronunciatum, Deus est, illi per se notum.

D. Tho. 1. p. q. 2. art. 1.

¶ Secundam sententiā tenet D. Thomas 1. p. q. 2. art. 1. quo loco inquit, hanc propositionem, Deus est, esse per se notam secundum se, non tamen quoad nos. ¶ Pro quo notandum, quatuor esse propositionū per se notarum genera. Quædā sunt per se notæ secundum se, sunt autē illæ in quibus prædicatum includitur in ratione subiecti. In his siquidem propositionibus terminorum rationes sufficienter, hoc est, quantum ad ipsorum evidentiam pertinet, nesciuntur. Sūt alia per se notæ non solum secundum se,

verū etiam quoad nos omnes sunt autē illæ quarum extremorum rationes sunt omnibus notæ, & compertæ, veluti totū est maius sua parte. Huius generis propositiones sunt omnes illæ, quæ ex terminis communibus, & transcendentibus constant. Tertium genus est earum propositionū, quæ sunt notæ secundum se, & quoad nos, non omnia tamen, sed sapientes, ceu in corporea loco minime contineri. Quartum genus est quod neq; secundū se, neq; quoad nos est notum, veluti natura est, Elleborus purgabilis, ad quarum propositionum evidentiam sensu opus est, & longa inductione. Ad hoc genus pertinent propria cuiusque artis, & scientiæ principia.

¶ His prænotatis conclusionis D. Thomæ prior pars ita ostenditur. Propositio per se nota secundū se est illa, cuius prædicatum includitur in ratione subiecti: atqui Deus est suum esse: igitur Deū esse est per se notū secundum se. Posterior pars, nempe quod non sit per se nota quoad nos omnes ex eo intelligitur, quia rationes extremorum nō sunt omnibus cognitæ, & compertæ. Nam esse Dei non differt à quidditate Dei: at nō est omnibus notum, imo neq; ipsis sapientibus, quid est ipsius Dei relinquatur igitur rationes terminorū huius propositionis, Deus est, non esse omnibus cognitæ, & cōpertæ.

Durandus. 1. d. 3. q. 3. hanc D. Thomæ sententiam comprobavit. Nam propositio per se nota quoad omnes illa est, in qua cognita significatione extremorum vñ recepta, quæque primū animo occurrit statim apparet coniunctio prædicati cum subiecto. At non sic res habet in hac propositione, Deus est, nam quidquid Deus significet siue ens primum, siue causam primam, siue ens infinitum, non continuo apertum est esse verè attribui subiecto, cum id sit à philosophis labore multo compertum, & demonstratum.

Egidius tertiam tenet sententiā, ait enim hanc propositionem, Deus est, esse per se notam tam secundum se, quam quoad nos, non tamen omnes, sed sapientes dūtaxat,

ve

Propositi-  
onum  
per se no-  
tarū qui-  
tuor: sūt  
genera.

Durandus

Egidius

ut scilicet sit communis ac per vulgata apud sapientes conceptio, Deum esse, quae admodum res in corporeas loco minime contineri. Argumentatur autem Egidius in hunc modum. Propositio per se nota est illa in qua praedicatum includitur in ratione subiecti, ex quo fit ut cognoscenti quid nam sit res subiecta, continuo efficiatur evidens coniunctio praedicati cum subiecto. Non enim propositio dicitur per se nota quia cuilibet sit cognita, sed ei solum qui terminos intelligit, At in hac propositione, Deus est, praedicatum includitur in ratione subiecti, & solis sapientibus cognitum est quid nominis ipsius Dei, nempe quod sit ipsum esse, & bonum quo maius cogitari non potest, igitur solis sapientibus notum est, Deum esse. Hinc effectum est, ut insipiens negauerit Deum esse, quia vim huius nominis minime intellexit.

Præterea, illud est per se notum esse, cuius oppositum cogitari non potest, hoc est, quod non potest cogitari non esse, sed sapientes non possunt cogitare Deum non esse, sapientibus igitur per se notum est, Deum esse. Minor ostenditur. Esse est de quiditate Dei, igitur cognoscenti esse includi in significatione subiecti apparet coniunctio ipsius esse cum subiecto, ac proinde cogitare non potest rem illam non esse, at sapientibus hoc est cognitum, non possunt igitur sapientes cogitare Deum non esse.

1. Argu. Nostra conclusio his etiam argumentis refutatur. Propositioni per se notae quoad nos omnes nemo unquam hominum repugnauit, at multi Deum esse negauerunt, vimque omnem diuinam e medio sustulerunt, ut Epicuræi, Diagoras Milesius, Theodorus Cyrenaicus, Euemerus Egiata, Calimachus, Protagoras, Lucianus, quod genus hominum graeci αθεοι, hoc est, impium appellant, & ut verbum verbo ex primam, sine Deo.

2. Argu. Postremo oppositum eius, quod est per se notum concipi animo non potest, at dixit insipiens in corde suo, non est Deus, Deum igitur esse non est per se, & quoad omnes notum.

DILUTIO ARGUMENT.

Quod igitur ad Gregorij sententiam attinet, primum eius argumentum diluitur negatione minoris propositionis. Nam per se notum est, esse verè enunciari de significato huius nominis, Deus. Namque omnibus est persuasum, & in omnium animis insitum, esse summum aliquod & præstantissimum in entibus, à quo sunt omnia vitæ petenda subsidia, quod appellant Deum, igitur si explicata vilius nominis, dicatur illo nomine contineri summum aliquod, eadem continuo erit notum, esse verè conuenire ipsi Deo.

Ad secundum eiusdem argumentum respondetur negatione antecedentis. Nam illa tria quae in propositione per se nota requiruntur, in hoc etiam pronunciato, Deus est, reperitur. Cuilibet enim homini naturæ instinctu venit in mentem, utpote cuius notio sit in omnium animis impressa. Ex quo efficitur ut notitia aliqua externa ad sui perceptionem minime indigeat, & proposita cuilibet homini approbetur.

Quod vero ad D. Thomæ sententiā attinet, principio negamus, omnem propositionem in qua praedicatum includitur in ratione subiecti, esse per se notam, siquidem non cuilibet proposita continuo approbetur. Etenim hæc propositio, intellectus est qualitas, ex praedicato constat ad rei essentiam attingere, non tamen est per se nota, alioqui tam multis non venisset in dubium, assentibus intellectum esse substantiam.

Neque est quod dicatur, illam propositionem esse per se notam secundum se, ita scilicet, ut cognita significatione subiecti continuo innotescat coniunctio praedicati cum subiecto. Nam primum, aut requiritur ut plene cognoscatur natura subiecti, aut quid nomine declaratur duntaxat, quo ad eam significationem quae primum occurrit. Si primum illud requiritur, eadem propositio esset per se nota, & secundum aliud nota. Nam res quae terminis aliquarum propositionum significantur, plene cognosci non possunt, nisi adhibita inuestigatione, ac proinde ex alijs quae nobis sunt cognita, intelligantur.

Ad 1. Gregorij.

Omnibus est a natura intellu, esse aliquod summum, & præstantissimum in entibus quod appellant Deum.

Ad 2. Gregorij.

Diluitur fundamentum opinionis D. Thomæ.

obiectio.

DISTINCTIONIS TERTIAE

Sin vero illud posterius requiritur, ac suffi-  
 cit, propositio omnino falsa est. Nam non  
 omnis propositio in qua predicatum in-  
 cluditur in ratione subiecti, ita habet ut co-  
 gnita significatione terminorum vsu rece-  
 pta, statim appareat coniunctio predi-  
 cati cum subiecto. Deinde cum esse notum  
 referatur ad cognoscentem, notum enim ali-  
 cui nosceti est notum, relinquatur illud di-  
 ci per se notam, quod excludit medium  
 quoad cognoscentem, ac proinde sit simpli-  
 catio in adiecto, dicere propositionem aliquam  
 esse per se notam secundum se, & non quoad  
 nos. Nam si propositio per se nota est, exclu-  
 dit medium quoad cognoscentem, ac proinde  
 non per aliud nota est, & ex consequenti  
 non solum secundum se, sed etiam quoad om-  
 nes nota est. Ita distinctio propositionis per  
 se notae in per se notam secundum se, & per se  
 notam quoad nos, minus est ad artem ac-  
 commodata. Nam si per se nota est, non per  
 aliud nota est, ac proinde iam quoad omnes  
 nota est.

Postremo negamus, hanc propositionem,  
 Deus est, non esse per se notam quoad nos  
 omnes. Argumentum vero quod id D. Thomas  
 effectum esse voluit, facile diluitur. Nam  
 tamen si non sit omnibus notum quid sit Deus  
 distincte, & sub propriatione, est tamen  
 omnibus cognitum quid sit Deus confuse,  
 & sub communi ratione, id quod sufficit ad  
 propositionem per se notam.

Hinc iam patet ad argumentum Duran-  
 di responsio. Nam cognita significatione  
 huius termini Deus, continuo apparet Deum  
 esse. Porro huius nominis, quae primum oc-  
 currit significatio, est summum, & praestan-  
 tissimum in entibus, a quo sunt omnia vite  
 subsidia petenda. Haec siquidem est diuini-  
 tatis notio, in animis omnium impressa.

Quod vero ad Egidij sententiam attinet,  
 dicimus non solum sapientibus, verum etiam  
 omnibus esse cognitum Deum esse, siquidem  
 non solum sapientes, verum etiam omnes ho-  
 mines intelligant quid sub appellatione  
 huius nominis contineatur, quemadmodum  
 exposuimus.

Ad secundum respondetur, non solum a  
 sapientibus, sed neque ab omnibus homini-  
 bus cogitari posse, Deum non esse, siquidem  
 non solum sapientes, verum omnes homi-  
 nes intelligant, esse includi in conceptu hu-  
 ius nominis, quemadmodum docuimus.

Postremo, quod attinet ad opinionem Sco-  
 ti, negamus illud requiri in propositione  
 per se nota, ut extrema distincte, & sub pro-  
 priatione cognoscatur, sed satis est quod  
 intelligatur quoad eam significationem, quae  
 primum animo occurrit, quaeque est vsu recepta.

Praterea, aliud est propositionem esse eui-  
 dentem, & aliud per se notam. Namque haec  
 propositio, Petrus sedet, evidens est ei, qui  
 Petrum sedentem intuetur, non tamen est  
 per se nota, Deum igitur esse, quavis sit eui-  
 dens beato, non tamen est per se notum  
 ob id solum, quia est evidens.

Superest ut duo illa argumenta, quibus  
 ad extremum nostram sententiam refutaui-  
 mus, diluamus. Ad prius igitur argumentum  
 responderi potest duobus modis, vno mo-  
 do, minoris propositionis distinctione. Na-  
 multi vim diuinam sustulerunt, non simpli-  
 citer, & omnino, sed ex adiunctione. Nega-  
 uerunt siquidem mundi rectorem esse Deum, &  
 curare res humanas, sub quorum persona  
 Iob. 21. dicitur, circa cardines caeli per am-  
 bulat, neque nostra considerat. Et hoc multis  
 venit in dubium, ut patet Abach. 1. & psal. 72.

Altero modo respondetur, propositioni  
 per se notae neminem unquam hominum re-  
 pugnasse, qui significationem extremorum in-  
 telligeret. Non enim propositio per se nota  
 eo dicitur, quia cuiuslibet sit nota, sed quae in-  
 telligenti significationem extremorum vsu  
 receptam, continuo approbetur. Iam vero qui  
 Deum esse negauerunt: non videntur intel-  
 lexisse quid Dei nomine significaretur.

Ad posterius argumentum respondetur,  
 oppositum rei per se notae non posse cogita-  
 ri ab eo, qui vim & significationem termino-  
 rum vsu receptam tenet, iam vero insipiens  
 aut non intellexit quid Dei nomine contine-  
 retur, aut certe terminum accepit sub extra-  
 nea significatione, & ideo Deum esse negavit.

Et

Ad 2.

Scoti fun-  
 damentum  
 euertitur

Aliud est  
 propositi-  
 onem esse  
 evidentem  
 & aliud  
 per se no-  
 tam.

Ad 1. ar-  
 gumentum  
 nostrum.

Ad 2.

Minus ap-  
 te dicitur  
 esse aliqd  
 per se no-  
 tum secun-  
 dum se, &  
 non quoad  
 nos.

Diluitur  
 D. Tho-  
 mae argu-  
 mentum.

Diluitur  
 argumen-  
 tum Du-  
 randi.

Alr. Egi-  
 dij.

coel

Cicer-  
 diuin-  
 one.

Et nota nihil esse insipientius quam eum negare esse, à quo omnia habent esse.

Dici etiam potest insipientem non simpliciter negasse Deum esse, sed ex adiunctione, hoc est, vt curantem res humanas, & probos præmio, improbos vero supplicio afficientem. Vel certe dixit insipiens in corde suo non est Deus potes auxiliū ferre populo suo, & ab hostibus eum liberare, vt patet ex contextu psalmi. Et hæc est melior, & cõtextui psalmi conuenientior expositio.

✠ Q V A E S T I O . 3 . ✠

*Vtrum ex rebus creatis sit euidenter cognobile Deum esse?*

Cõclusio



**R**ESPONDET VVNICA CõCLUSIONE. Ex rebus creatis non solū cognobile est, Deum esse, verum etiam euidenter demonstrabile.

Huic conclusioni principio fidem facit irrefragabilis diuinæ scripturæ authoritas. Ait siquidem Apostolus ad Roma. 1. Inuisibilia Dei à creatura mundi ex ijs, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque eius virtus, & diuinitas. Illa particula, ex, significat habitudinem antecedentis ad consequens, vt .s. decursu quodam rationis ex effectis colligatur, Deum esse. Illæ vero particule, intellecta conspiciuntur, huius discursus, siue demonstrationis euidentiam declarāt. Significat ergo D. Paulus, diuinitatem ex effectis euidenter cognosci, imo vero & ipsis philosophis testatur euidenter cognoscā, comperitque fuisse. Quod cognobile, inquit, erat de Deo, hoc manifestū est illis. Deus enim illis reuelauit, non docendo, aut afflatu aliquo interno, ac diuino, sed visilem, & aspectabilem mundum efficiendo, quod sui admirabilitate, & pulchritudine effectore declararet. Hinc illa Ciceronis sententia profluxit, esse præstantem aliquam, æternamque naturam, & eam suspiciendam,

admirandamque hominū generi, pulchritudo mundi, ordoque rerū cęlestium cogit confiteri. Et alibi. Quis est tam vecors, qui si suspexerit in cœlū, Deos esse nō sentiat?

De Aruspiciū responsis.

Porro annotationem, & obseruationem rerum effectarum, quæ oculis cernuntur, Deorum opinionem hominibus attulisse tradidit poëta Lucretius his versibus.

Lucreti lib. 5.

Nam cum suspicimus magni cęlestia mundi  
Templa super, stellisq; micatibus æthera fixū,  
Et venit in mentem tolis, lunæque viarum,  
Tunc alijs oppressa malis in pectore cura  
Illa quoque expergefatum caput erigere infit,  
Equæ fortè Deum nobis immensa potestas,  
Sit, vario motu quæ candida sydera verset?

Præclare igitur est à Diuo Paulo dictum, non esse quod veteres excusationem aliquam afferre possent, quod Deum minime coluerint: siquidem vim diuinam esse aliquam cunctis rebus antecellentem, ex ijs quæ effecta sunt agnouerint, agnitam vero non sint pro eo ac debuerunt, pietate, & religione prosecuti. Huic etiam conclusioni suffragatur authoritas Augustini super Ioannem tractatu. 2. ita inquit. Philosophi inquiserūt creatorem per creaturam, quia potest inueniri per creaturam.

Roma. 1.

Ac qua ratione ad Dei cognitionem naturali mētis inuestigatione perueniri possit, iam supra, q. 1. huius distinctionis, docuimus. Ea siquidem est triplex ratio, nempe efficientiæ, ablationis, & eminentiæ.

Triplex diuinitatis cognoscendæ ratio.

Ac per rationē efficientiæ diuina natura in hunc modum inuestigatur. Omne quod mouetur, ab alio motum suscipit: nam vt idem à se ipso moueatur fieri non potest, cum nihil idem sit simul actu, & potentia: at mouentium, & eorum quæ mouentur series esse non pōt infinita, alioqui nihil moueretur, cum infinitarū causarum mouentium concursus nullus esse possit: sequitur igitur vt cū aliud ab alio subinde mouetur, tandem euēturū, vt aliquid occurrat, qd ipsum quidē motū alijs afferat: motū vero aliunde minime accipiat. Hoc ipsū Deū esse dicimus.

Eadem ratione licet argumentari sumpto argumento ex ordine causarum. Nam in causis finitis, quæq; in orbē minime redeant

Cicero de diuinatione.

## DISTINCTIONIS TERTIAE

oportet dari primam, ac supremam causam. Sola enim circulatio, siue reciprocatio impedit quominus detur primū efficiēs. Quē admodū enim in circulo, ita & in causis circularibus, non pōt prima designari, quē admodū enim vltimū est à primo, ita vice versa primū est ab vltimo. At causae efficientes inuicē ordinatę sūt finitę, nec reciprocationē vllā admittunt, in causis igitur efficiētibus inuicē ordinatis necesse est dari primā causam. Minor ostēditur in hūc modū. Principio esse finitas multitudinem ex eo intelligitur, quia cū causę per se ordinatę simul oēs ad eandē rem efficiendā concurrant, vt sol, & homo, & si qđ est aliud superius efficiēs: si causa hūmōi esset infinita, infinita simul causae in eadē re efficienda cōcurrerent, qđ tamen est factū impossibile. Deinde non posse esse hūmōi causas circulares ex eo intelligitur, quia in causis ordinatis sepe posterior causa est effectus prioris: quare si causa hūmōi reciprocaretur: illud eueniret profecto, vt idem respectu eiusdē simul esset causa, & effectus, id qđ fieri non potest. Tandē enim aliquādo idem esset à se ipso. Ablatione vero, siue per viam ablationis ad summū illud numen peruenitur hoc pacto. Omne quod est aut pōt nō esse, aut necesse est esse: sed non omne quod est pōt nō esse, igitur est aliquid qđ simpliciter, & omnino necesse est esse. Minor ostenditur. Si omne quod est nō esse pōt, nihil est incōmodi, vt ponatur nō esse. Nā possibili in actu posito nihil sequitur incōmodi, iam si omne quod non esse pōt, non sit, nihil igitur erit, neque Deus, neq; creatura: ac proinde nihil gigni, aut fieri pōt. Nam si quippiam fieret, aut à se ipso fieret, aut ab alio: nō à se ipso, siquidem authore Augustino, nihil est impossibilius, quā vt quicquā se ipsum gignat: neq; itidem ab alio, quādoquidem nihil esse positū est, nihil igitur tū fieret, hoc vero cū sit in absurdis, relinquatur omnino aliquid esse: qđ non pōt non esse: id qđ dicim⁹ esse Deū.

Porro via, & ratione eminentiæ Deū esse, ita conficitur. Cum variae sint rerū species, & naturae, vnā alteri præstare necesse est.

Nam vt author est Aristot. rerum essentiae, & naturae sunt inter se perinde affectae, ac numeri. At numerorū forma, non aequae & ab vno, & inter se distant: sed vna interuentu alterius: vt ternarius interuentu binarij, ad eūdem igitur modum & rerū naturae, & species non aequae inter se distant: sed aliae alijs antecellunt. Cū vero in numeris progrediendo versus vnū, non fiat in infinitū progressio, omnes enim tandem in vnitatem incurrūt, relinquatur igitur & rerū naturas, speciesq; vniuersas in extremā aliquam, eamq; summā, & præstantissimā naturā incurrere. Hāc appellat Deū, igitur etc.

Adde, quia id quod nūc esse cœpit, cum antea non extiterit, sit ab alio profectū necesse est, nihil enim se ipsum gignere potest: ac multa cernūtur in rebus, quae nunc sunt cū antea non fuerint: sequitur igitur ea aliunde ortū habuisse. Illud igitur à quo A, ortū est, aut ex alio ortum habuit: aut se ipso est: si se ipso est, igitur Deus est. Nam Deus natura est quadam omnibus dans esse, cū ipsa interim à nullo sit, sed se ipsa sit. Sin vero ortum habuit ex alio: cum finis aliquis sit occursurus, relinquatur omnino in rebus aliquid esse, quod ab alio non sit profectum, ceteris tamen omnibus esse tribuerit, quod vulgo dici consuevit causa in causata.

Postremo ipsa rerum omnium conseruatio, ac moderatio declarat esse numen aliquod diuinū infinita vi: & sapientia præditū. Neque enim cōtineri tot seculorum aetatibus tāta rerū machina, nisi vi diuina, potuisset. Neq; suū res quaeq; ordinē rueri, ac cōseruare potuisset, nisi diuina sapientia regeretur. Neq; est vt casu, aut temeritate constituisse omnia quis dicat, nā etsi id ei concedatur, certē rerū ille constantissimus ordo, inquit Damasce. primo lib. ac perpetua cœlestium conuersionū, ac vicissitudinū anniuersariarum constantia temeritati assignari nullo modo pōt. Nihil enim tam abhorret ab ordine, & cōstantia, quam casus, & temeritas. Deum igitur esse & sacra scriptura testatur: & vel digito ostendit ipsa natura.

REFUTATIO CONCLUS.

Non

Primum.  
Egid. 1.  
d. 3. q. 3.

**N**on esse demonstrabile, Deū esse, his argumentis ostenditur. Substantiæ non est demonstratio: at esse Dei est sua substantia: non est igitur demonstrabile. Maior patet Arist. auctoritate 2. de demonstratiōe libro.

secundum  
Henr. in  
Ioma art.  
2. q. 4.

Præterea oīs demonstratio ex medio conficitur, qđ est notius, ac prius re quę demonstratur: at inter esse Dei & ipsam Dei essētiā nihil mediij intercedit, quod sit prius & notius, cum sint penitus idem: igitur esse Dei demonstrari de Deo non potest.

Aliacus. 1.  
d. 3. q. 3.

Sunt qui existimēt non esse euidenter cognobile ex rebus creatis Deū esse, ac proinde superiores oēs rationes infirmāt. Principio illud argumentū, quod sumptū est ex ordine mouentiū, Deum esse nō euidenter cōcludit, partim quia illud non est ex se notū, omne quod mouetur ab alio moueri. Nā aquam calefactā cernimus sensim calorē amittere, & in veterē frigiditatē restitui, non tñ perspiciū est à quo moueatur, sed omnino à se moueri existimatur. Partim quia illa ratiōe solū efficitur, dandā esse aliquā causam mouentē immobilē, non tñ magis immobilē quā sit anima rationalis, quę corpus mouet, à nullo tñ alio sic, & esse distincto mouetur.

Argumentū vero sumptū ex ordine causarū, id quod est propositū euidenter nō concludit. Postulat enim nō dari causas vniuocas infinitas, id quod tamen versatur in cōtrouersia. Nam de sentētia Arist. cause vniuocę efficiētes inter se minime cōnexę possunt esse eiusdē effectus infinitę. Namque hunc hominem genitum infiniti homines gignentes antecesserunt.

Adde, quia etsi illa ratione obtineatur esse primū efficiēs, nō tamen illud efficitur esse primum ens, nempe cū aliquid aliud prius illo esse possit, sin minus in genere efficiētis, cercē in genere finis, quę agendo intueretur, quę admodum intellectuales naturę sūnt, ac principē intuetur, nō tanquā effectricē, sed tanquā finē cui appetūt. assimilari.

Ratio iremilla, quę sumitur ex diversis gradibus perfectionis id quod est propositū minime concludit. Nam illud pro cōperto sumit, nō fieri in gradibus essēdi in infinitū

progressum, id quod tamen multis venit in dubiū. Sunt enim qui putent Deum posse efficere rerum species, ac naturas actu infinitas, quarum vna alteri antecellat.

Adde, quia illa ratio efficit dūtaxat dandū esse aliquod summū ens, à quo profectę sint entiū participatiōes, quodcūq; illud sit. Nā & Plato existimauit illud esse, hoc est, mentē genitā, à paterna essētia distinctā.

Iam argumentū ex remotione defectibilitatis sumptū, id solū efficit, esse videlicet aliquod ens necessariū: id quod alijs etiam multis rebus conuenit, s. menti hominis, & corpori cœlesti.

Postremo, non necesse est vt quod modo esse cœpit, cum prius nō fuerit, sit profectū ab aliquo positiuē influente, cum esse possit ab aliquo remouēte solū id quod prohibet, quemadmodū lapis locū inferum obtinet sūmota causa impediēte. Ita huins sentētię Authores cōcludūt nō esse euidenter demonstrabile esse Deū esse tñ illud euidenter cognobile, participatione luminis glorię.

**DILVTIO ARGUMENT.**

**A**d primum, & secundum argumentum nonnulli ita respondent, vt dicant esse Deum non esse euidenter demonstrabile, prout esse accipitur absolute, ac secundū se, id est, vt est illud esse, quo Deus in se subsistit, hoc siquidē est substantia, & omnino idem quod ipsa Dei quidditas, & essentia, esse tamen Dei prout significat cōpositionem intellectus, siue prout fundat veritatē propositionis, quę dicit Deus est, aiunt esse demonstrabile, hoc est, ex rebus effectis via remotionis, causalitatis, & eminentię posse colligi euidenter, hęc propositionē esse veram, quę dicit, Deus est, Thom. 1. p. q. 3. ar. 4. ad 2.

Ego vero cōtra D. Thomę obijcio. Oratio vera dicitur vel falsa ex eo quia res subiecta orationi, est, vel non est: igitur quicūq; nouit hoc pronunciatū esse verū, Deus est, & rem subiectā esse intellexit: at proinde esse illud, quo Deus absolute est, etiam cognouit. Videtur igitur D. Thomę sententia apertam repugnantiam continere. Adde quia cum quaeritur sit Deus nec nec: non

H ; id

DISTINCTIONIS TERTIAE

id queritur, vtrū illa propositio sit vera, quę dicit Deus est, sed vtrū esse Deo cōueniat?

Caietan<sup>9</sup>  
respondet.

Caietanus. 1. p. q. 3. art. 4. ad secundum, facile concedit aduersario, eum qui cognouit hanc propositionē esse veram, Deus est, etiam cognoscere ipsum esse Dei, non tamen absolute, sed vt fundat veritatē illius propositionis.

Obijci-  
tur contra  
Caietanū

Obijci cōtra potest, fundās veritatem propositionis est ipsamet actualitas essendi Dei, qua est in se: igitur cognoscens veritatē huius propositionis, Deus est, cognoscit etiā ipsum esse Dei, siue ipsamet actualitatē essendi Dei absolute. Quo-

respondio  
authoris.

circa dicendum est, quod etsi perueniri nō possit via rationis ad cognitionē ipsi<sup>9</sup> quid est Dei, perfectam, & distinctam, vt scilicet habeatur proprius, & distinctus conceptus Deitatis, perueniri tamen potest ad cognitionem confusam, & sub cōmuni ratione, quo etiam modo ipsum esse Dei est cognoscibile pro statu via. Sciens igitur via rationis Deum esse, nō solū nouit hoc pronūciatum esse verū, Deus est, verū etiam actualitatē essendi Dei, confusē tñ, & indistinctē.

Ad 1.

Ad primum igitur argumentum respondetur, duplicem esse demonstrationē, vnā, quę mediū assumit prius, & notius, quodq; est causa rei quę demonstratur non solum in inferendo, verū etiam in essendo: alterā, quę medium assumit posterius, & illatiuū dūtaxat. Esse igitur subltiā est demonstrabile ex causa, non quidē in essendo, sed in inferēdo solū. Nam accidentia multū adiumenti afferūt ad rerū naturas, & essentias percipiendas. Hoc etiam modo esse Dei est demonstrabile ex posteriori, & ex causa in inferendo solū.

Ad secundum respondetur. Maiorē esse verā de demonstratiōne, quę causam assumit rei, quę sub demonstratiōne cadit. Ea siquidē ex medio priori, & notiori cōficitur, non tñ de demonstratiōne, quę sumitur ex effectis, quo genere demonstratiōnis, esse, est de Deo demonstrabile.

Quod vero ad illorū sentētiā attinet, qui dicūt nullo modo esse euidenter cognoscibile, & demonstrabile, Deū esse: dicimus illā

sententiā non posse vllō modo defendi, vt pote cui aduersetur aperta diuina scripturę authoritas: quemadmodū primo quęstionis membro docuimus. Quocirca dicimus superioribus illis rationibus euidenter cōcludi, Deū esse: nō quidem directē, & imediatē, sed consecutione quadā. Namq; illis rationibus colliguntur quędā predicata, quę sunt Dei propria, nempe ens imobile, ens primū simpliciter, & perfectissimū, primū efficiēs, ens simpliciter necessariū: quę predicata cū non possint nisi Deo conuenire, inde efficitur, rem subiectā, nēpe Deū, esse.

Caietan<sup>9</sup>  
1. p. q. 2.  
arti. 3.

Hinc effectū est, vt nōnulli dixerint demonstrare Deum esse, esse aliud nihil, quā declarare quid est, quod Dei appellatione concineatur, nempe summum, perfectissimum, & primum ens, quod cum non possit non esse, efficitur vt Deus sit.

Egidi. 7.  
d. 3. q. 3.

Singulatim vero ad obiecta cōtra rationes respondēdo, dicimus ad primā obiectiōnē cōtra primam rationē, aquam calefactam moueri ab alio ad frigiditatē, ab alio inquā tāquā à principio externo, nēpe ab aere circūlātate, ab alio vero ceu à principio interno, & formali, nēpe à suamet forma. Nā cū elementa sunt extra propriū statū, in eundē se ipsa, vi ingenitę formę restitūt, si nihil impedit. Ab alio vero tāquā à principio instrumentario, nempe à frigiditate virtuali, quę nihil est aliud, quā quędam aquę ad frigiditatem naturalis inclinatio.

Corrobo-  
ratio su-  
pe iorum  
rationum

Ad id vero, quod secundo loco obijcitur, dicitur animam nō esse motore immobilē simpliciter, vt quę saltē per accidēs moueatur. Ratio vero illa cōcludit esse dandū motore aliquē immobilē, qui sic moueat, vt interim à nullo neque per se, neque per accidens moueatur.

Anima  
nō est mo-  
tor sim-  
pliciter  
immobi-  
lis.

Ad confirmationem vero secundę rationis respondetur, in causis efficiētibz vniuocis essentialiter ordinatis non dari progressū in infinitū. Sunt autē causę per se ordinatę, quādo vis prioris causę attingit oēs causas medias vsq; ad vltimū effectū. Ex quo fit vt in causis essentialiter ordinatis tria requirātur, primū est illud, vt posterior se per de-

Essentia-  
lis ordo  
causarum

deat

deat à priori in causando, ita quod illa non agere ista non agat. ¶ Secundū illud est, ut prior contineat causalitatē posterioris, ita scilicet ut causa posterior agat virtute accepta à causa priori. ¶ Tertio postremo requiritur, ut simul agant, id quod ex primo consequitur. Ita fit ut si non sit causa prima, nulla sit causa media, ac proinde neque effectus ultimus: iam autē si daretur processus in infinitum in causis inter se inuicem ordinatis nulla omnino esset causa prima, ac per consequens neque vllus effectus.

Primum efficiens est primū ens, & cōtra. Porro illam consequentiam esse firmissimam, est primū efficiens, igitur est Deus, ex eo intelligitur: quoniam omnino primū efficiens est primum ens simpliciter, tum quia omnis multitudo reducitur ad vnum, & ortum habet ab vno: igitur siquid est primum efficiens in coordinatione efficientiū causarum, est etiam primū ens in coordinatione entium. Tum quia quidquid habet causam finalem, habet etiā causam efficiētem. Et notandum quod non solū primum efficiens, est primū ens, verū etiam vice versa primū ens simpliciter necessario est primū efficiens: nam perfectissimo simpliciter nō potest deesse aliqua perfectio simpliciter: at primū ens est perfectissimū simpliciter, & potentia actiua est perfectio simpliciter, utpote quā melius est inesse, quā nō inesse: igitur primo enti quod est simpliciter perfectū non deest potentia actiua: & cū non possit esse efficiens secundariū, cum à nullo sit factum, sequitur ut sit efficiens primū.

Ad refutationem vero eius rationis, quæ sumitur ex diuersis gradibus perfectionis dicitur perfectissimū in quoq; genere esse causam omniū illius generis, causam in quā aut effectiuam, ut maxime calidū omnium calidorū, qua calida sunt: aut exemplarē, ut albedo omnium colorū, qua colores sunt. Quo enim colores magis accedūt ad albedinē magis participant naturam lucis, ac proinde & naturā coloris. Deus vero summus, & præpotens est causa non solū exemplaris, verum etiā effectiua entitatis, & bonitatis in rebus, idq; quoad id omne quod

sunt: omnes igitur naturæ in diuinam illam tanquam summam, & præstantissimā naturam incurrunt.

Porro illam cōsequentiam esse firmissimā. Datur aliquid à quo sunt omnium entium participationes, igitur illud est Deus, hinc intelligitur quoniam omne tale per participationem reducitur ad tale aliquid per essentiam: igitur ens per participationē reducitur ad ens per essentiam, hoc vero est Deus, qui solus est suum esse: igitur etc.

Ad confirmationem vero rationis eius, quæ sumitur ex remotione defectibilitatis, dicitur ea ratione cōcludi dari ens simpliciter necessarium non habens causam necessitatis aliūde, hoc vero soli Deo cōpetit.

Postrema vero ratio illa petita ex rerum gubernatione ordinatissima, id quod est propositū efficaciter concludit. Nam quāuis natura sit sufficiens principū ad operandum: non sufficit tamen ex sese ad bene, congrue, & accommodatē ad certā rationem operandū, sed ad hoc ipsum præstandum necessariō indiget aliquo intellectu gubernante: iam vero cum cernamus agentia naturalia non solum agere, verum etiam bene, & congrue, & vsque ad certum terminum, inde facile concludimus esse aliquem intellectū, à quo naturales actiones gubernentur, & ad fines suos congrue prouehantur. Vnde à philosophis dicitur, opus naturæ esse opus intelligentiæ, dirigentis scilicet ipsam naturam, ac finē ei, & ordinem præstituentis. Est igitur euidenter cognobile, ac demonstrabile Deū esse.

QVÆSTIO. 4.

*Verum in rebus creatis cernatur sacrosancta trinitatis imago, et vestigiū?*

Voniam Authore Diuo Paulo ad Roma. i. cap. ex rebus creatis, & effectis, diuinitas, ac sempiterna Dei virtus inuestigatur, & perspicitur: adducitur in quæstionem à Theologis, vtrum in rebus creatis appareat sacrosanctæ trinitatis vestigiū? Ponuntur ergo



DISTINCTIONIS TERTIAE

pro quaestione explanatione duae conclusiones, quarum prior est huiusmodi. In rebus creatis apparet quiddam trinitatis vestigium. Probatio. Vestigium quoddam est pedis in pulvere impressio, ducens in cognitionem confusam illius, qui vestigium impressit, in qua igitur re adumbratio quaedam cernitur sanctae trinitatis ducens in confusam illius cognitionem, ibi vestigium trinitatis reperitur, at in omni re creata quaedam adumbratio sacrosanctae trinitatis cernitur ducens in cognitionem quaecumque trinitatis, in omni igitur re creata sacrosanctae trinitatis vestigium apparet. Minor ex eo intelligitur, quia in rebus omnibustria cernuntur, quae sacrosanctam trinitatem quasi quoddam vestigio indicant. Haec tamen tria varie assignantur. Divus Augustinus haec tria esse dicit modum, speciem, & ordinem: in re siquidem quaeque creata haec tria reperiuntur, modus rei limitationem speciem naturam, ordo propensionem, & inclinationem declarat. Etenim res quaeque creata definitam habet essentiam, & in certa specie reponitur, ad extremum ad aliquid naturae impetu, & impulsu inclinatur. Haec igitur tria scilicet modus, species, & ordo vestigij rationem obtinent, quoniam ad confusam trinitatis cognitionem ducunt: confusam inquam, quoniam ad cognitionem eorum solum ducunt, quae personis attribuitur. Namque modus divinam potentiam declarat: etenim quia res quaeque finita est, ostendit quod sit ab alio seu a principio, ac proinde ducit in cognitionem potentiae, quae est agendi principium. Qua vero certam habet formam, & speciem, sapientiam creatoris indicat, quemadmodum domus artificium, artem, & conceptionem artificis declarat. Sapientia autem attribuitur filio. Qua vero inclinationem habet ad bonum, bonitatem declarat effectoris rem illam sic instituentis. Bonitas vero attribuitur spiritui sancto.

Pondus  
numerus  
mensura  
sapiens. 2.  
August. 4.  
super Gen.  
nes. ad li-  
teram cap. 3

Sapientia alia tria exponit nempe pondus, numerum, & mensuram, quae in illa superiora incurrunt auctore Augustino. Nam Deus est mensura omni rei modum praefigens: numerus omni rei speciem praebes, pondus rem

omnem ad stabilitatem trahens. Ita mensura modo, numerus formae, & ordo ponderi respondet.

Cernuntur etiam in rebus singulis haec tria, nempe unitas, veritas, bonitas: quaeque enim res est una, vera, & bona. Est quidem una quia a se indistincta, & a quovis alio diuisa, vera, quia summi artificis arti, & notioni, siue idae conformis, bona vero quia ad suos quaeque usus accommodata est. Unitas igitur personam patris indicat. Quemadmodum enim unitas est principium totius multitudinis, & unitatem nihil antecedit, ita & summus pater origo, & fons est totius diuinitatis, & idem a nullo est, & ab ipso sunt omnia. Veritas summi patris filium representat, qui est verbum patris, & exemplar, in quod intuens pater omnia condidit. Bonitas spiritum sanctum ostendit, qui bonitas est, & amor.

Posterior conclusio. In animo hominis elucet quaedam trinitatis imago. Ostenditur hoc pacto, ibi elucet trinitatis imago, ubi reperitur trinitatis imitatio, atqui in animo hominis quaedam reperitur trinitatis imitatio, ibi igitur elucet sacrosanctae trinitatis imago. Pro intelligentia maioris propositionis est notandum in ratione imaginis duo maxime requiri. Primum requiritur similitudo, non quaecumque, sed in ijs, quae rem expressius declarant, huiusmodi sunt color, & figura: sunt enim haec signa speciei. Multo tamen magis id conuenit figurae, id quod ex eo patet, quia etsi color leonis in pariete depingatur, si non accedat etiam leonis effigies, illa pictura neque est, neque dicitur imago leonis. Adde quia animalia specie differentia diuersas quoque habent figuras: non tamen necessario diuersos colores. Quae res declarat figuram multo magis esse signum speciei quam colorem. Secundo requiritur ut imago sit ab ea re, cuius est imago expressa, siue profecta vel tanquam a principio naturali principiante secundum esse naturale, quomodo filius est imago patris, vel tanquam ab exemplari principiante secundum esse conceptum, & intellectum quo modo statua Caesaris est a Cesare animo artificis concep-

Unitas,  
Veritas,  
Bonitas.

Vidit De  
cuncta que  
fecerat &  
erat valde  
bona  
Gen. 1.

2. conclusio.

De ratione  
imaginis  
quae sunt

Figura  
multo magis  
est signum  
speciei quam  
color.

Imago est  
similitudo  
expressa ab  
ea re cuius  
est imago.

cōcepto profecta, estq; ipsius imago. Quoniam vero in ijs duobus, quæ rationē imaginis complent, consistit rei cuiusq; imitatio, sequitur vt in eo reperiatur trinitatis imago, in quo reperitur eiusdem imitatio.

Minor vero propositio ex eo intelligitur, quoniam in animo nostro reperiuntur illa duo, in quibus consistit imitatio, nempe similitudo, & expressio. Etenim in animo nostro cernitur similitudo trinitatis. Quæ admodum enim in sacra trinitate est vnitas essentiæ in multitudine personarum: quarum secunda originem ducit à prima, tertia verò ab vtraque, ita in vnica animi nostri essentia sunt tres potentia, quarum secunda ortum habet à prima nempe intelligentia à memoria, tertia vero nempe voluntas ab vtraque. Est etiam illa similitudo expressa à diuina essentia tanquam ab exemplari. Vnde Genes. i. scriptū legitur. Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram: hoc est, ad exemplar nostrum hominem efformemus.

REFUTATIO CONCLUS.

**P**Rior conclusio hoc vnico argumento infirmatur. Rei nullo modo inuestigabilis, nullum extat vestigium, at vnitas diuinæ essentiæ in trinitate personarū, nullo modo est inuestigabilis, illius igitur in rebus creatis nullum extat vestigium.

Posterior conclusio hoc etiam argumēto refutatur. De sententia D. Hilarij, imago est rei eius, ad cuius similitudinem est expressa, species indifferens: sed Deus, & anima nostra non sunt specie indifferētes, non elucet igitur in anima nostra sacrosanctæ trinitatis imago.

DILVTIO ARGUMENT.

**P**Rius argumentum diluitur distinctione minoris propositionis. Namque trinitas sancta non est ex creaturis inuestigabilis quoad propria personarum, sed quoad appropriata, penes quæ attenditur representatio vestigij. Namque vestigium ducit in cognitionem rei non quidem distinctā,

sed cōfusam: nō particularē, sed vniuersalē.

Posterius argumentum diluitur maioris propositionis explicatione. Namq; aliquorum esse speciem indifferētem, contingit dupliciter: vno modo participando eandē specie naturā, hoc modo filius dicitur imago patris: altero modo participādo diuersam specie naturam, speciei tamen demonstratiuā: hoc modo statua Cæsaris est imago Cæsaris: ipsum enim representat colore, & effigie altera tamen existens secundū speciem naturæ. Priori modo Dei, & creaturæ non est species indifferens, ac proinde creatura non est imago trinitatis priori modo. Posteriori vero modo Dei, & creaturæ est species indifferens, & reperitur in creatura imago trinitatis.

✠ Q V A E S T I O . 5 . ✠

*Vtrum partes imaginis, scilicet memoria, intellectus, et voluntas re ipsa inter se distinguantur?*

**P**RO explicatione quæstionis ponuntur tres conclusiones. Prima conclusio. Partes imaginis, nempe memoria: & intellectus realiter inter se minime distinguuntur, sed munere, & actione duntaxat. Probatio. Eiusdem omnino facultatis est habere habitum, & uti habitu, habitus siquidem adiungitur potentia ad explendam cōmodius actionem, igitur, quod ad mentem nostram attinet, eiusdem omnino facultatis est, habere formam intelligibilem, & uti forma intelligibili, atqui memoria formas intelligibiles continet, & asseruat, & quasi thesauros suos custodit, intellectus vero eisdē utitur: memoria igitur, & intellectus, non sunt duæ animi facultates, sed vna diuersa munera exequens, nempe continere formas intelligibiles, & eisdem uti, ex qua duplici actione, duplex quoque nomen consecuta est illa potentia. Etenim quatenus formas, vel habitus intellectuales cōtinet, dicitur memoria,

2. conclusio

3. conclusio

4. conclusio

5. conclusio

6. conclusio

7. conclusio

8. conclusio

9. conclusio

10. conclusio

11. conclusio

12. conclusio

13. conclusio

14. conclusio

15. conclusio

16. conclusio

17. conclusio

18. conclusio

19. conclusio

20. conclusio

21. conclusio

22. conclusio

23. conclusio

24. conclusio

## DISTINCTIONIS TERTIAE

notoria, quatenus vero eisdem iam utitur, intellectus appellatur.

2. cōclus.  
Intellectus  
& volun-  
tas re ip-  
sa distin-  
guuntur.

Secunda conclusio. Intellectus, & volū-  
tas re ipsa distinguuntur. Probatio. Diuer-  
sarum actionum, quæ diuersam quoque in  
principio rationem principiandi requirūt,  
sunt diuersa omnino principia: atqui velle,  
& intellegere sunt diuersæ actiones, quæ di-  
uersam quoque in principio rationē prin-  
cipiandi requirūt: etenim actio intellectus  
naturaliter, actio vero voluntatis libere ex-  
pletur: proficiscuntur igitur à diuersis re ip-  
sa principijs.

Confirmatur cōclusio Aristotelis autho-  
ritate, qui tertio de anima libro appetitum  
seiunxit à sensu, & intellectu. Idem D. Au-  
gustinus. 15. de trinitate libro, ita ait. In trini-  
tate creata non intelligimus nisi per intel-  
lectū: neque volumus nisi per voluntatem.  
Iam ergo sic licet argumētari. Hic intellec-  
tus intelligit, & non vult, hæc volūtas vult  
& non intelligit: igitur hic intellectus non  
est hæc voluntas. Voluntas igitur, & intel-  
lectus inter se distinguuntur.

3. cōclus.  
Intellectus  
agens nō  
distingui-  
tur reali-  
ter a pos-  
sibili.

Tertia conclusio. Intellectus agens à pos-  
sibili re ipsa non distinguitur. Probatio.  
Frustra adhibentur multa cum vnum suf-  
ficit: atqui ad efficiendum vt res sint actu  
intelligibiles, & ad ipsas percipiēdas sufficit  
vna, & eadē vis animi variè affecta: est igitur  
vis eadem quæ dicitur intellectus agēs,  
& possibilis. Minor patet ex eo quia actio-  
nes ordine quodā inter se affectæ, quarum  
vna alteri necessariò præponitur, possunt ab  
eodem principio provenire, quemadmodū  
illuminatio, & calefactio solis: atqui effec-  
tio intelligibiliū præponitur ordine naturæ  
ipsorum perceptioni: potest igitur vtraque  
actio ab eodem principio provenire: ita vis  
illa animi nostri duplex, agendi scilicet &  
accipiendi res intelligibiles, non re ipsa sed  
munere, & officio duplex est: eadem enim  
vis intellectiua dicitur cū agens, tum pos-  
sibilis, agens quidem quatenus interuentu  
lucis cuiusdā sibi inditæ phantasmata illu-  
minat obiectiue, hoc est, efficit vt res quæ  
intelliguntur, in phantasmatis eluceant,

quemadmodū lux solis aeri circumfusa, ef-  
ficat vt colores alioqui visibiles conspiciantur.  
Hoc tamē interest, quia lux efficiēs colores  
actu visibiles, est externa & oculis circumfusa:  
at lux efficiēs phantasmata actu intelli-  
gibilia est humanæ menti insita, & ingenita,  
estque accidēs quiddā humani intellectus.  
Est autem idem intellectus possibilis, qua-  
tenus ex se nihileorum continet, quæ in-  
telligit: ipsaq; omnia valet percipere: om-  
niumque rerum, quæ cadere sub intelligē-  
tiam possunt, notionibus potest informari.

### REFUTATIO CONCLUSVS.

**P**rima conclusio his argumentis refuta-  
tur. Authore D. Augustino intelligētia  
ortum habet à memoria: at nihil ortū ha-  
bet à se ipso: non sunt igitur vnum, & idē  
memoria & intellectus.

Primum.

Præterea imago trinitatis elucēs in ani-  
mo nostro posita est in trinitate potentia-  
rum, quæ sunt intellectus, memoria, & vo-  
luntas: at nō essent tres potētiz nisi re ipsa  
distinguerentur: igitur re ipsa distinguuntur.

Secundū.

Postremo potētiz nomine declaratur  
vis quædam agendi, & principii: at respec-  
tus esse agendi principium nullo modo po-  
test: igitur nulla vna natura potest esse prin-  
cipium diuersarum actionum sub diuersis  
respectibus: sed necessariò diuersæ actiones  
proficiscuntur à diuersis principijs re ab-  
soluta distinctis.

Tertium.

**C** Secunda cōclusio improbatur à Duran-  
do. 1. d. 3. q. 3. multis argumentis. Principio  
ita argumentatur. Appetitus naturalis non  
distinguitur re ipsa à forma, quam conse-  
quitur, ceu appetitus materiæ non secerni-  
tur à materia, sed est ipsamet essentia, &  
natura materiæ sic inclinata: igitur & ap-  
petitus animalis re ipsa minime secernitur  
à vi, & facultate cognitrice, quæ cōsequitur.  
Firma est consecutio propter similitudinē.

Primum.

Deinde frustra adhibentur multa, cum  
vnum sufficit: atqui ad suscipiendas, atque  
explendas has duas actiones cognitionem  
scilicet, & appetitionem rei cognitæ, vis, ac  
facultas vna sufficit: nam actiones quædā  
inter

Secundū.

inter

inter se ordine affectæ possunt ab eodem principio proficisci, quemadmodum illuminatio, & calefactio à lumine solis: iam vero cognitio, & appetitio sunt actiones ordine inter se quodam affectæ: frustra igitur ad vim cognitiuam adiungitur vis appetitiua re ipsa distincta.

**Tertium.** Præterea, omnis potentia non cognitiua in rem sibi obiectam fertur naturaliter, & nullo modo liberè: at voluntas in rem sibi obiectam liberè fertur: est igitur facultas, & vis quædam cognitiua: at in suprema animi nostri parte nulla vis alia cognitiua collocatur, nisi intellectus: igitur voluntas est idem quod intellectus. Maioris probatio. Omne agens liberum de actione à se suscepta diiudicat, alioqui illa sibi actio neque ad meritum, neque ad demeritum foret imputanda: ex quo efficitur, ut illa eadem vis, cuius interuentu homo est liber, sit etiam diiudicatrix: igitur vis omnis, & potentia non cognoscens in rem sibi obiectam fertur naturaliter, & nullo modo liberè.

**Quartum.** Ad hæc, si intellectus & voluntas essent potentia realiter distincta, Deus posset efficere, ut voluntas aliquid vel amaret, vel respueret: cuius interim cognitio in intellectu minime antecederet, id quod tamen falsum esse docet Augustinus. 12. de trinitate libro. Porro illud consequi, ex eo intelligitur, quia omne absolutum re ipsa ab altero distinctum potest ab eodem vi diuina separari.

**Quintum.** Adde his, quia potentia, & facultates, quæ ad modum & habitus, ex obiectis rebus distinguuntur, ut scilicet illæ sint distincta potentia, quæ in rebus subiectis & obiectis diuersis, illæ eadè, quæ in eisdè rebus subiectis & obiectis versantur: atqui intellectui, & voluntati eadè res est proposita & obiecta, nihil enim vel amplectitur, vel aspernatur voluntas, nisi quod cognoscit intellectus, quodque est ei ab intellectu propositum: voluntas igitur & intellectus inter se minime distinguuntur.

**Sextum.** Postremo, appetitus sensitius à sensu minime distinguitur: igitur neque appetitus

rationalis ab intellectu. Antecedens ostenditur. Sensus perceptione rerum salutariù delectatur: atqui delectatio est actio facultatis appetitiuæ: igitur vis sentiendi est eadem quæ appetendi, alioqui si distinguuntur, tot erunt in homine potentia appetitiuæ, quot sunt sensus externi: siquidem quilibet sensus peculiarem percipit de re sibi proposita delectationem: vel si minus accommodata & conueniens sit, aspernationem certam habet.

His argumentis effectum esse voluit Durandus, intellectum, & voluntatem esse unam animi facultatem: unamque naturam absolutam, eamque adiunctam essentia animi, quæ duas actiones exequitur, cognitionem scilicet, & volitionem ordine quodam.

**Tertia conclusio** his argumentis refutatur. Quando aliqua ita se habent inter se, ut vnum sit ut materia, alterum ut forma: vnum ut perfectio, & absolutio, alterum ut perfectibile: illa duo inter se realiter distinguuntur: atqui de Aristotelis sententia 3. de anima libro, intellectus agens quædam est perfectio, & absolutio intellectus possibilis, ut qui ipsum de potentia ad actum traducat, estque ipsius veluti actus, & forma, differunt igitur re ipsa.

Item, auctore Aristotele, intellectus agens est ut efficiens, intellectus possibilis ut materia, actioni intellectus agentis subiecta: at nulla in actione agens, & materia coincidunt: non sunt igitur intellectus agens, & intellectus possibilis vnum, & idem.

Adde, quia Aristoteles. 3. de anima libro duas differentias in anima nostra statuendas esse putauit: quarum unam intellectum agentem, alteram vero possibilem appellauit: sunt igitur intellectus agens, & intellectus possibilis duæ res differentes. Namque differentia differentium rerum est differentia.

Postremo, Nihil idem relatione ad idem est id quod fit, & id quod facit: at auctore Aristot. intellectus possibilis fit omnia, intellectus vero agens eadem omnia facit: non sunt igitur vna & eadè res intellectus agens, & possibilis.

## DILUTIO ARGUMENTORUM.

Ad 1. contra primam conclusionem.

Ad primum contra primam conclusionem respondetur, ex memoria oriri intelligentiam, non quidem quatenus dicuntur unam, & eandem rem: sed quatenus diversas habent functiones ex quibus etiam denominantur, quarum una supponit alteram. Namque uti intellectio supponit habitualiter intelligere: siue speciem rei, quae intelligitur, continere.

Ad 2.

Ad secundum respondetur, trinitatem potentiarum, in qua consistit imago trinitatis, referendam esse non quidem ad trinitatem rerum distinctarum: sed ad trinitatem munerum, & officiorum. Ex qua desumitur varia eiusdem rei denominatio.

Ad 3.

Ad tertium respondetur, quod etsi respectus esse non possit agendi principium, potentia tamen sub respectu est principium agendi. Quorum respectuum diversitas licet non redundet in varietatem potentiae, redundat tamen in varietatem actionum: ita fit ut eadem potentia sub diversis respectibus exequi possit diversas actiones.

Ad 1. contra 2. conclusionem.

Ad primum contra secundam conclusionem negatur consecutio. Nam etsi illud sit verum in appetitu naturali, non tamen est verum in appetitu cognitivo. Nam cum appetitus naturalis sit imperfectior, appetitus vero cognitivus perfectior, fit ut ad appetitum cognitivum tanquam ad perfectiorem plura requirantur, quam ad appetitum naturalem tanquam imperfectiorem.

Ad 2.

Ad secundum respondetur, actus subordinatos esse posse ab eodem principio, si eodem modo se habeant in principiando: sic autem non se habent intellectus, & voluntas. Nam intellectus principiat naturaliter voluntas vero liberè: iam vero nulla natura limitata potest principiare liberè, & naturaliter.

Ad 3.

Ad tertium dicitur ad maiorem: omnem potentiam non cognitivam, neque sequentem cognitionem ferri in suum obiectum naturaliter, & nullo modo liberè. Iam autem voluntas ut sit potentia non cognitiva, se-

quitur tamen immediate cognitionem id quod ad libertatem potentiae sufficit. Dicitur immediate propter potentias corporeas motivas in nobis: quae etsi sequatur cognitionem, non tamen immediate, sed mediate, hoc est, mediate imperio voluntatis.

Ad quartum negatur sequela. Ad probationem dicitur illud esse verum, cum actio unius non pendet per se, & essentialiter ex actione alterius: sic autem actio voluntatis pendet ex actione intellectus presentatis obiectum volibile ipsi voluntati. Neque sufficit quod Deus moveat, & excitet voluntatem ad volendum: sed omnino necesse est, ut presentetur obiectum volibile in ratione obiecti cogniti, id quod non fit, nisi a potentia cognitiva, vel certe a supplente vicem illius.

Ad quintum respondetur, habitus & potentias non capere distinctionem ex obiectis materialibus, sed ex obiectis formalibus, siue ex rationibus formalibus obiectorum. Iam vero quamvis in idem materiale obiectum ferantur intellectus & voluntas, non tamen si b eadem ratione formali.

Ad sextum negatur antecedens. Ad probationem vero dicitur, illam delectationem esse in appetitu sensitivo formaliter, & subiective non in potentia cognitiva: tum quia opposita habent fieri circa idem: at potentia cognitiva minime tristatur: igitur neque delectatur, tum quia eiusdem potentiae est delectatio de re presenti & desiderium de eadem absente: at desiderium non est potentiae cognitivae: igitur neque delectatio. Non tamen sequitur ut sint tot potentiae appetitivae, quot sunt sensus externi, siquidem omnes illae speciales delectationes redundant in appetitum sensitivum re ipsa a sensibus distinctum.

Dici potest non incommode, esse cui libet sensui complantatum proprium appetitum perceptivum delectabilem illius sensus, & aspernativum non convenientium. Ac proinde dicitur esse tot appetitus, quot sunt potentiae cognitivae.

Ad primum contra tertiam conclusionem respon-

Ad 4.

Ad 5.

Ad 6.

Alfonso  
I d. 1. q. 3  
art. 2. 3. 4Ad 1. contra  
tra 3. con-  
clusionem.

respondetur, perfectionem & perfectibile esse duo aut re ipsa, aut ratione distincta. Vnum enim & idem vtrunq; munus subire potest, diuersa ratione acceptum. Ita intellectus hominis, quatenus omnium, quae intelliguntur notionibus informatur, dicitur possibilis, & rationem obtinet materiae, quatenus vero ille idem intellectus phantasmata illuminat obiectiue, dicitur agens, & rationem formae obtinet, ac perfectionis.

Ad 2. Ad secundum respondetur, intellectum hominis esse principium operationum passiuum, hoc est, actionem sic exequi ut ipsam interim recipiat. Porro in nulla actione materia, & efficiens coincidunt: si efficiens operetur actione transeunte, secus si operetur actione immanente. Nam actio immanens recipitur in operante.

Ad 3. Ad tertium dicitur, in anima nostra esse duas differentias secundum rationem, non secundum rem. Namque vnum & idem diuersas rationes obtinet, quae admodum exposuimus.

Ad 4. Ad quartum respondetur, nihil idem fieri omnia, & facere omnia sub eadem ratione: sed sub alia, & alia. Ita intellectus hominis fit omnia, quatenus rerum omnium, quae possunt intelligi, notionibus, & comprehensionibus informatur: facit vero omnia, quatenus phantasmata ipsa, interuentu lucis inditae, illuminat obiectiue, seque ipse ad comprehensiones suas aptum & idoneum reddit. Ac haec intellectus sibi ipsi praestat: non solum enim in diuersis, verum etiam in eodem agere, praestantius est quam pati.

## DISTINCTIO QUARTA.

¶ Resolutio distinctionis quartae.

**I**n hac distinctione mouet Magister duas quaestiones, prior est huiusmodi. ¶ Vtrum Deus genuit Deum. ¶ Posterior. Vtrum quoadmodum haec est vera, Trinitas est vnus

Deus, vna essentia, vna substantia, sic etiam vice versa, haec sit vera, vna essentia, vel vnus Deus est trinitas, scilicet pater, filius, & spiritus sanctus. Quod attinet ad priorem quaestionem, ponit magister hanc conclusionem. Haec propositio, Deus genuit Deum, est vera, & catholica. Probat auctoritate symboli, Deum de Deo, lumen de lumine.

Obicit contra hanc conclusionem Magister dupliciter ut patet ex litera. Tandem resoluit magister, patrem neque genuisse se Deum, neque alium Deum, sed genuisse filium, qui est Deus. Ita Deus pater genuit Deum filium, qui tamen est vnus Deus. Contra, Augustinus scribens maximo epist. 66. dicit, quod pater genuit alterum se, igitur genuit se. Respondet, quod haec propositio, genuit alterum se, habet hunc sensum. Pater genuit alterum, qui hoc est, quod ipse. Nam etsi alius sit pater a filio, non tamen est aliud a filio, sed vnum cum filio. ¶ Adit Magister, quod pater genuit Deum, qui non est Deus pater, non tamen genuit alterum Deum, sed genuit alterum qui est Deus. Interim tamen notat magister, quod haec propositio, nempe, pater genuit Deum qui non est Deus pater, habet duplicem sensum, vnus sensus est, pater genuit Deum filium, qui non est pater. Et sub hoc sensu illa propositio est vera. Alter sensus est. Pater genuit Deum, qui non est Deus, qui pater est. Et sub hoc sensu illa propositio est falsa. Nam vnus & idem Deus est pater, filius, & spiritus sanctus. Et vice versa, pater, filius, & spiritus sanctus est vnus & idem Deus.

¶ Quod vero attinet ad posteriorem quaestionem,

stionem, ponit magister hanc conclusionē.  
Verē, & catholice dicitur, unus Deus  
est trinitas, pater, filius, & spiritus san-  
ctus, quemadmodum hæc est vera, Tri-  
nitas est unus Deus, id quod probat te-  
stimonijs Augustini:

QVÆSTIO. I.

Utrum in diuinis sit generatio?



**S**UPERIORI-  
bus distinctionibus  
docuit magister uni-  
tatem essentiae diui-  
nae conjunctam esse  
cum trinitate perso-  
narum: deinceps ad  
explicationē diuinarum processionum in-  
greditur, interim explanans eas, quæ obiter  
incidunt quæstiones.

Principio igitur hac quarta distinctione  
quæri consuevit sitne in diuinis generatio?  
subijcimus de more duas conclusiones.

**1. conclus.** Prior conclusio. Non est naturaliter cog-  
nobile in diuinis reperiri generationem.  
Probatio. Si esset naturaliter cognobile in  
diuinis reperiri generationē, esset naturali-  
ter cognobile, & inuestigabile esse in diui-  
nis multitudinem personarum: atqui hoc  
non posse humani vi ingenij reperiri iam  
**d. 2. q. 6.** alibi docuimus: relinquatur igitur neq; il-  
lud posse sciri naturaliter in diuinis reperiri  
generationem. Consecutio ex eo perspici-  
tur, quia gignens, & genitum necessariō  
distinguntur personaliter.

Posterior conclusio. Non solum natura-  
liter, verum etiam efficaciter est demon-  
strabile, esse generationē in diuinis, supposi-  
to interim quod sint multæ personæ in di-  
uinis. Id vero sic deducitur. Diuinæ per-  
sonæ distinguuntur relationibus originis:  
at illarum originū alteram necesse est esse  
generationem: necesse est igitur in diuinis  
reperiri generationem. Priori propositioni  
iam alibi fidem fecimus, nempe d. 2. q. 7.

Superest vt posteriorem ostendamus.

Porro harum originum aliquam esse ge-  
nerationem, hinc patet. Quidquid accipit  
esse ab aliquo, & naturam, idque modo na-  
tura, illud generatur, namq; generatio ter-  
minatur ad esse, quemadmodum corrup-  
tio ad non esse. Et tēque generatio est via  
qua fit ad naturam progressio, vnde &  
opus naturæ dicitur à Damasceno. Adijun-  
gimus, modo naturæ, vt scilicet ex ratione  
sua processiois habeat, quod sit simile gi-  
gnenti, quodque procedat ab vno tantum,  
quemadmodum sexta distinctione accu-  
ratus explicabitur: iam autem prima per-  
sona producta in diuinis accipit à produ-  
cente esse, & naturam, eamque non solum  
eandem specie, verum etiam eandē nume-  
ro, idque modo naturæ, nempe cū ex pro-  
cessione sua habeat vt sit similis gignenti,  
procedatque ab vno tantum: sequitur igitur  
illam personam generari, ac proinde  
diuinarum originum aliquam esse gene-  
rationem.

Huic cōclusioni fidem facit diuinæ scri-  
pturæ autoritas. Dicitur enim Isaiæ extre-  
mo cap. Ego qui alijs generationem tribuo,  
numquid sterilis ero? qui cæcos parere fa-  
cio, ipse non pariam? Item, generationem  
eius quis enarrabit? Accedit, quia paterni-  
tas, & filiatio generationem consequuntur:  
at paternitatem, & filiationem literæ san-  
ctæ in diuinis esse prod. derūt: sequitur igitur  
in diuinis reperiri generationem.

REFUTATIO CONCLUS.

**R**atio naturalis ostendit in diuinis esse  
generationem: igitur prior conclusio  
falsa est. Antecedēs ostenditur. Hæc ratio  
naturalis est. Quidquid perfectio s in crea-  
turis cernitur, id Deo attribuendum est, in  
quo perfectio omnis continetur, & à quo  
abest omnis imperfectio: atqui generatio  
est perfectio creaturæ: est igitur Deo attri-  
buenda. Minor ostenditur. Communica-  
tio ad perfectionem pertinet, arguit enim  
rei illimitationem: atqui generatio quoad  
formalem ipsius rationē significat ex parte  
quidē generantis communicationē naturæ,  
ex par-

Generatio  
est accep-  
tio natu-  
ræ modo  
naturæ.

Generatio  
est opus  
naturæ.

et b.

Isaiæ. 44.

Isaiæ. 44.

Generatio  
formali-  
ter.

Gener-  
tio fact-  
um g-  
nus su-

Gener-  
tio creat-  
uræ à di-  
uina gene-  
ratione d-  
ruratur  
Eph. 3.

Primum  
Tria rep-  
tuntur i-  
generati-  
one, subie-  
ctum, ge-  
nium  
secundum

Generatio  
recepta  
natura  
modo  
ara.

Generatio  
secundum  
genus  
suum

ex parte vero geniti, acceptionem naturæ, quamvis secundum genus, exitum quendam, declaret de potentia ad actum, est enim motus siue mutatio, id quod ad imperfectionem pertinet, est igitur generatio perfectio quædam.

Generatio  
creatura  
a diuina  
genera  
tione de  
riuat.

Generatio  
creatura  
a diuina  
genera  
tione de  
riuat.  
Eph. 3.

Nota. Generationem secundum formalem rationem acceptam, prius in Deo reperiri, quam in creatura: imo vero omnem generationem creaturæ ab illa diuina, ceu ab exemplari deriuari, iuxta Pauli sententiam Ephes. 3. A quo omnis paternitas, hoc est, omnis ad gignendum vis in cœlo, & in terra nominatur, quamvis diuinam illam imitando minime assequatur, illa si quidē diuina generatione, eadem numero natura cum re, quæ gignitur, citra omnem mutationem comunicatur, natura vero creata, eadem specie cum mutatione comunicatur.

Primum.  
Tria repe  
riuntur in  
generatio  
ne, subie  
ctum, for  
ma, geni  
tum  
secundū.

Posterior cōclusio venit in dubiū. Tum quia generatio est mutatio, in Deum autem nulla cadit mutatio: tum quia in omni generatione tria cernuntur, subiectum scilicet generationis, quod subest vtrique transmutationis termino, forma, quæ per generationem comunicatur, ad quam ē generatio terminatur, res quæ gignitur, quæ generationem complet, at hæc tria in generatione diuina minime reperiuntur, non subiectum, quia illud esset diuina essentia, at diuina essentia rationem materiam, & subiecti in diuina generatione subire non potest, partim quia materia præexistit rei genitæ, essentia vero non præexistit filio: partim quia materia actu formam cōcipit cuius prius expers fuit, iam vero diuina essentia nunquam fuit sub priuatione filiationis. Neque itidem in diuina generatione reperitur aliquid quod sit formalis generationis terminus. Nam si quis reperiretur, ille esset diuina natura, quæ per generationem comunicatur: at diuina natura esse non potest formalis terminus diuinæ generationis, nam formalis terminus acquirit esse per generationē: at diuina essentia non sic habet in diuina generatiōe.

Neque postremo ibi reperitur quod generatur completiue: quia illud nunc est, & prius non fuit, at Dei filius semper fuit ut dicitur Ioann. 1. In principio era verbū, hoc erat in principio apud Deum.

Tum, quia generatio omnis aut vniuoca est, aut æquiuoca, diuina autem generatio neque vniuoca esse videtur, neque æquiuoca: non vniuoca, siquidem generans, & genitum non videantur eadem ratione continere, tam enim differunt supposita, quæ proprietates quibus formaliter constituuntur: at proprietates constitutiue gignentis, & geniti, nempe paternitas, & filiatio eadem ratione minime continentur, neque igitur supposita quæ eisdem constituuntur, non est igitur diuina generatio vniuoca. Neque est etiam æquiuoca: siquidē generatio æquiuoca perfectam similitudinē minime includit, iam autē quod procedit à Deo, si ei similitum necesse est: igitur etc.

Accedit postremo ad refutationem conclusionis: quia si generatio in diuinis reperitur, generans verè dicitur Deum genuisse: vel igitur genuit se Deum, vel alium Deum: non se Deum, quia nihil se ipsum generat: neque alium Deum, siquidem in diuinis nō sint multi dii, nullo igitur modo Deus genuit Deum, ac proinde generatio in diuinis minime reperitur.

DILVTIO ARGVMENT.

Ad primum contra primam conclusionem dicitur naturam reperiri in multis perfectiuitatem, non tam esse perfectionem naturæ, quam conditionē supplementem defectum perfectionis. Nam summa naturæ perfectio in eo consistit, ut in supposito adæquato illi naturæ subsistat, hoc vero est vnum tantum de sententia philosophorū. Nam quod vna natura numero in suppositis distinctis subsistat, quorum quodlibet sit adæquatum perfectioni illius naturæ, fide est nobis potius, quam humana ratione persuasum.

Ad primū contra secundam conclusionē respondetur: generationem reperiri in diuinis

Tertium?

Quartum

Ad 1.

Ad 1.  
Thom. 1.  
d. 4. q. 1.  
art. 1.



Generatio in genere  
natura, & creata  
non dicitur univoca  
e.

nis non secundum genus, quod est motus, sive exitus de potentia ad actum, sed secundum formalem ipsius differentiam, quae acti-  
ne quidem consistit in communicatione natura, passivè vero in eisdem acceptione: illud enim ex sua ratione formali dicit imperfectionem, hoc vero perfectionem. Sic etiam in Deo scientia reperitur non secundum genus, nempe habitum, sive qualitatem, sic enim forma inhaerentis rationem haberet: sed secundum formalem ipsius completivam rationem, scilicet evidentiam, & certitudinem cognitionis.

Ad 2.

Secundum argumentum, duas, easque explicatu dignissimas quaestiones compertitur: quarum illa est prior, utrum divina essentia habeat rationem materiae in divina generatione: posterior vero, utrum eadem divina essentia sit formalis divinae generationis terminus, quas easdem quaestiones sequenti distinctione tractabimus.

Generatio divina, & creata non dicitur univoca.

Porro argumentum ita diluitur, ut dicatur generationem creaturæ & divinam non dici univocè: ac proinde non oportere ut quae in generatione creaturæ reperiuntur, in divina generatione reperiuntur.

Ad 3.

Ad tertium dicitur, divinam generationem esse univocam, nempe cum hac generatione communicetur eadem natura. Univocatio vero sive aequivocatio in generatione attenditur secundum identitatem, aut diversitatem naturae, non tamen secundum proprietates sub quibus est natura, alioquin nulla generatio esset univoca. Quantum igitur pater, & filius distinguantur proprietatibus personalibus, quia tamen eiusdem sunt natura, hinc fit, ut genitum non differat natura à gignente: ac proinde eadem ratione continentur.

Ad 4.

Ad quartum dicitur verè dici, Deus genuit Deum, non tamen damus quod genuerit aut se Deum, aut alium Deum: non quidem se Deum, quia nihil se ipsum generat: neque alium Deum, siquidem illud, aliud, diversitatem essentiae significat, iam autem Deus genitus non distinguitur essentia à gignente. ¶ Obijci contra potest, Idem, &

diversum dividunt omne ens, igitur Deus genitus sit idem necesse est, aut diversus à gignente. Dicimus, idem, & diversum dividere omne ens, si referantur ad unum tantum, vel ad essentiam solum, vel ad personam solum. Secus si referantur ad utrumque simul. Ita fit, ut relatione facta ad personam solum, verè dicatur, pater genuit alium, hoc est, personam aliam, non tamen genuit se, hoc est, eandem personam. Ceterum relatione facta ad essentiam, verè dicitur, pater genuit se Deum, id est, Deum qui est idem quod ipse, non tamen idem qui ipse. Relatione tamen facta ad utrumque simul, neutrum verum est.

✠ Q V A E S T I O . 2 . ✠

*Verum nomina essentialia de personis verè dicantur.*



**Q**UONIAM DEVS GENUIT Deum, ac proinde haec propositiones sunt verae, Deus est generans, Deus est genitus, postulare iam hic locus videtur, ut exquiratur, verè ne essentialia de personalibus, & contra, personalia de essentialibus dicantur? Ac quaestionem propositam tribus assertionibus explicamus.

Interim nonnulla praemittimus. Illud est primum, nomina divinorum quaedam esse essentialia, quaedam vero personalia. Illa sunt essentialia, quae tribus personis sunt communia, & aequè illis conveniunt, illa vero personalia, quae sunt propria personarum, aut certè solis personae conveniunt. Rursus nomina essentialia, aut significantur adiectivè, aut substantivè. Porro nomina essentialia substantiva, aut significantur in abstracto, aut in concreto: Rursus nomina essentialia sive substantiva, sive adiectiva, aut praedicantur in singulari, aut in plurali. His praepositis ponuntur aliquot conclusiones.

Prima conclusio. Nomina essentialia substantiva, ut Deus, essentia, substantia sive in abstracto, sive in concreto significantur, verè

Ad 4. Obijci contra potest.

1. conclusio.

verè dicuntur de personis. Hæ siquidē propositiones sunt veræ. Pater est Deus, Pater est Deitas, siue pater est essentia diuina.

Probatio conclusionis. In simplicibus suppositum, & natura sic identificantur, vt nihil sit ipsum suppositum, quod idem non sit etiã natura, at diuina natura simplicissima est: igitur sic pater est Deus vt sit etiam Deitas. Contra res habet in rebus creatis. Vt enim Antonius verè dicatur homo, nõ tamen verè dicitur humanitas.

Secunda conclusio. Essentialia adiectiua tam denominatiuè, quam secundum formam dominantem verè prædicantur de personalibus: etenim hæ propositiones veræ sunt. Pater est omnipotēs, pater est omnipotentia, filius est sapiens, filius est Dei sapientia. Hoc ipsum vero non aliunde prouenit, quam ex summa Dei simplicitate, qua efficitur, vt quidquid in Deo reperitur sit vnum & idem quod diuina essentia. Vnde in creatis quamuis concedamus Antonium esse sapientem, negamus tamen Antonium esse sapientiam: siquidem sapientia non est idē quod humana natura.

Tertia conclusio. Quæ sunt propria essentia attribuntur personis, dummodo non repugnent formali constitutio personæ. Quocirca hæc est vera propositio. Pater creat, pater est creatrix essentia, hæ tamen falsa, pater est communicabilis, Pater est indistinctus, quæ tamen sunt propria essentia: quia repugnant formali constitutio personæ, nempe relationi quæ est incommunicabilis, & distinguit, ac distinguitur. Porro propria essentia posse cõuenire personæ inde ortum habet, quia persona includit essentiam, etenim persona ex essentia, & proprietate constituitur.

Quarta conclusio. Nomen essentiale substantiuum dicitur de diuinis personis in singulari. Probatio. Singularitas, aut pluralitas nominis substantiuui attenditur secundum formam significatã, at diuina essentia est vna, & simplicissima in diuinis personis, igitur nomen essentiale substantiuum dicitur in singulari de personis diuinis.

Maiores probatio. Nomen substantiuum significat per modũ substantia, at substantia per se habet esse, igitur per se habet vnitatem, aut pluralitatem, ac proinde singularitas, aut pluralitas nominis substantiuui attenditur secundum singularitatem, aut pluralitatem formæ significatæ.

Quinta conclusio. Nomen adiectiuũ essentiale dicitur de diuinis personis in plurali, Probatio conclusionis. Nomen adiectiuum significat per modum accidentis, siue inhaerentis in altero, igitur quemadmodum accidentia non habent per se esse, ita etiam neque habent ex se vnitatem, aut pluralitatem, sed ex supposito, ac proinde singularitas, aut pluralitas nominis adiectiuui attenditur secundum vnitatem, aut pluralitatem suppositi, at in diuinis est multitudo suppositorum, igitur nomen adiectiuum essentiale in diuinis dicitur in plurali de diuinis personis.

REFUTATIO CONCLUSVS.

Quarta conclusio his argumentis refutatur. Principio Geneseos, quo loco dicitur, in principio creauit Deus cœlum, & terrã, veritas hebrea habet, Heloim, quod significat, Dij, at hoc non dicitur nisi propter pluralitatem personarũ, igitur hoc nomen, Deus, dicitur in plurali de diuinis personis.

Porro fundamentum conclusionis hoc argumento euertitur. Artifex habens multas artes, non dicitur multi artifices, sed vnus artifex, igitur pluralitas nominis substantiuui nõ attenditur secundũ pluralitatem formæ significatæ. Item, verbũ assumēs multas naturas humanas nõ dicitur multi hoēs, sed vnus homo auctore D. Tho. 3. p. q. 3. ar. 7. ad 2. at forma significata hoīs noīe plurificatur, igitur. etc.

Quinta conclusioni repugnare videtur authoritas D. Athanasij in symbolo dicētis in hunc modũ, non tres omnipotentes, sed vnus omnipotēs, neq; tres increati, aut tres imēsi, sed vnus increatus, & vnus imēsus: at illa sũt nomina essentialia adiectiua, falsa est ergo cõclusio dicēs, talia nomina de diuinis personis dici in plurali, nõ itidē in singulari.

I Accedit,

DISTINCTIONIS QUARTE

Quintū. Accedit, quia nomen numerale ponit significatum suum circa significatum sui determinabilis, atque significatum nominis adiectiui, & substantiui est vnum & idē, vtrūque enim significat formam, vt author est Aristot. cap. de substantia: igitur in vtroque determinat formam, quæ cum sit vna numero in diuinis, sequitur vt tam nomen substantiuum, quam nomen adiectiuum in diuinis dicatur in singulari de diuinis personis; neq; hoc ei potest eripere diuersus modus significandi.

DILVTIO ARGVMENT.

Ad 1. Ad primum dicitur, esse suam cuiq; linguæ loquendi rationē, quæ ita est illius linguæ propria, vt admitti ad linguā alterā non sine incōmodo possit. Ita Græci dicunt tres diuinas hypostasēs, hoc est substantias, Latini vero nō dicūt tres substācias, quoniā substantia apud Latinos, tritū verbū est pro essentia: ac proinde pluralitas referretur ad essentiā. Ad eundē etiā modū, Hebræi rectē dicūt, Heloim, propter pluralitatē diuinorū suppositorū, Latini vero ineptē dicerēt, Dij, quoniā pluralitas ad essentiā esset referēda.

Ad 2. Ad secundum dicitur, nomen substantiuum, & nomen adiectiuū in hoc cōuenire, quia vtriusq; pluralitas requirit pluralitatē suppositorum. Neutrū enim dicitur in plurali, nisi adsit multitudo suppositorū. Vnde artifex habēs multas artes, nō dicitur multi artifices, sed vnus artifex propter vnicū suppositum, & diuinum verbū assumens duas humanas naturas, nō dicitur duo homines sed vnus homo propter vnicū suppositū: differunt tamen quoad vnitatē, aut pluralitatē ex parte formæ. Namq; pluralitas substantiui requirit necessariō pluralitatē formæ: at pluralitas adiectiui non item. Nam existente vna numero albedine in multis suppositis dicuntur multa alba, non vnum album. Hinc collige, cū pluralitate nominis substantiui semper esse coniunctā pluralitatē non solū formæ, sed etiā suppositi: at ad pluralitatem nominis adiectiui sola sufficit pluralitas suppositorum, quantūuis forma significata sit vna numero, ita patet

Tam adiectiuum quam substantiuū requirit pluralitatem suppositorū ad hoc vt dicatur in plurali.

responsio ad secundum, & tertium. Ad quartum dicitur, adiectiuū adiectiuè sumptum semper dici in plurali de multis, quantūuis forma significata sit vna numero in multis illis, secus si accipiatur substātiue, quo modo ab Athanasio sumpta sunt illa nomina, ac proinde non tres increatos, aut tres immensos, sed vnū increatum, aut vnū immensum existimauit esse dicēdum.

Ad quintum dicitur, terminū numeralē ponere significatū suum formale circa suppositū sui determinabilis, tā in substantiuis, quam in adiectiuis. Cæterū in substantiuis, quia substātiua sunt, ponit etiā formale significatū circa formā significatā, in adiectiuis non item, saltim necessariō. Nam vna albedine existente in multis suppositis, dicuntur multa alba, non vnum album.

✠ QVÆSTIO. 3. ✠

*Vtrum personalia de essentialibus verè dicantur?*



Respondetur duplici cōclusionē, quarū hæc est prior. Personalia substantiua verè dicūtur de essentialibus siue cōcrete, siue abstracte significatis. Quocirca hæc propositiones sunt veræ, Deus est pater, diuina essentia est pater, id quod ex identitate personæ, & essentiæ proficiscitur.

Posterior cōclusio. Personalia adiectiua verè dicūtur de essentialibus in cōcreto, nō tū in abstracto, verè siquidē dicitur, Deus generat, Deus est genitus, falso tū dicitur diuina essentia generat, diuina essentia generatur. Probatio cōclusionis. Nomina cōcreta significant naturā in habēte, hoc est, in supposito indistinctē: igitur possunt naturaliter supponere pro supposito, & pro eodem reddunt propositionē verā, ac proinde quæ sunt suppositorū propria possunt eidē attribui, at abstractū nomē naturā significat citra ordinē ad suppositū, & ideoque sunt suppositorū propria verè de eo dici non possūt.

1. cōclus.

2. cōclus.

Quæ sunt personarum propria non possunt attribui essentiæ in abstracto, bene tū in concreto.

Adde,

Adde, quia persona in diuinis distinguit, & distinguitur, at essentia neq; distinguit, neque distinguitur: igitur propria personarum nō possunt attribui essentia in abstracto, possunt tñ attribui essentia in concreto propter implicationē suppositi. Caterum si quippiā adiungatur, quod possit accipi non solum pro essentia, verū etiam pro supposito, tum locutio vera efficitur, vt si dicatur, essentia est res generās, ille qui est essentia generat, nam res, & ille possunt accipi, tum pro essentia, tum pro persona. Thom. i. p. q. 39. art. 5. Durand. i. d. 4. q. 1. & d. 5. q. 1.

REFUTATIO CONCLUSIONUM.

1. Argu. **P**Rior conclusio his argumentis improbat. Persona ab aliquo existente in diuinis distinguitur, igitur propria personarū nullo modo possunt attribui essentia in diuinis. Cōsecutio probatur, quoniā p̄dicata de essentia videntur distinctam essentiam p̄dicare, ac significare.

2. Argu. Ad hęc, p̄dicatio accidentaria longissime abest à diuinis, at hęc p̄dicatio, De<sup>9</sup> est pater, est accidentaria, vtpote quia p̄dicetur inferius & minus commune, de superiore, & magis communi, quemadmodū in hac, animal est homo, igitur, etcat.

3. Argu. Posterior conclusio refellitur in hūc modum. Fieri non potest vt repugnantia verificentur de eodem: igitur si essentia diuina non generat, sequitur etiam vt Deus non generet, nempe cum Deus & Deitas sint vnum & idem.

4. Argu. Item non generare, & distingui sunt personarum propria, at hęc non verē dicuntur de essentia in cōcreto: hęc siquidem propositiones sunt falsæ, Deus nō generat, Deus distinguitur: igitur personalia adiectiua nō verē dicuntur de essentialibus in concreto.

Posterior vero conclusionis pars sic improbat. Pater generat, essentia diuina est pater, igitur essentia diuina generat. Item, Filius est genitus, essentia diuina est filius, igitur essentia diuina est genita.

DILVTIO ARGUMENT.

**A**D primum, negatur cōsecutio. Ad probationē vero dicitur hoc interesse inter substantiuum, & adiectiuum, authore D. Thoma. i. p. q. 39. art. 5. ad quintum, quoniam adiectiuum non fert secum suppositum, sed ponit rem significatam supra substantiuum, siue supra suppositum sui determinabilis: contra vero substantiuū fert secū suppositum, & ponit rem significatā supra suppositum quod constituit. Quocirca hęc propositio est vera, essentia diuina est pater, quandoquidem verbū illud, pater, non ponit paternitatem supra subiectum propositionis, sed supra suppositum quod constituit, ac proinde illius propositionis hic est sensus: essentia diuina est res habens paternitatem, hoc est, est illa res, quæ habet paternitatem, est autē illas res suppositum patris. Hęc tamen propositio falsa est: essentia diuina generat, quandoquidem illud verbum adiectiuum, generat, ponit rem significatam, generationem scilicet, supra substantiuum cui adiungitur.

Ad secundū dicitur, illam esse per se p̄dicationem, non quidem formalē, sed identicam. Est autē p̄dicatio per se formalis illa, in qua p̄dicatū cōuenit subiecto ratione formalis significati ipsius subiecti, ita quod omni tali, quatenus tale est, cōueniat illud p̄dicatum. Sic autem non habet hęc propositio: essentia diuina est pater, siue De<sup>9</sup> est pater, alioqui quidquid esset diuina essentia, siue Deus, esset pater. Est autem per se identica propter identitatem suppositi, & naturæ. Ex quo fit, vt syllogismus capriosus connectatur cum sic arguitur. Pater generat, essentia diuina est pater: igitur essentia diuina generat. Committitur enim captio accidentis. Namque maior propositio est per se formalis, minor vero per se identica.

Ad tertium, negatur consecutio. Nam quamuis Deus, & Deitas sint vnum secundum rem, differunt tamen ratione. Vel certē quāuis idē significant secundū rem, differunt tñ in modo significādi, quo diuerso significādi modo efficitur, vt aliqd verē dicatur

Ad r.  
Thomas!

Substantiarū fert secū suppositum, adiectiuū non itē.

Ad 2.  
P̄dicatio formalisque sic

Ad 3.